AUTHOR:

AHLBERG, AXEL W.

TITLE:

DE CORREPTIONE IAM-
BICA PLAUTINA...

PLACE:

LUNDAE

DATE:

1901

Master Negative #

92-80599-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG92-B31710          Acquisitions     NYCG-PT
FIN PN AHLBERG AND TW CORREPTIONE - Cluster 1 of 1 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B31710               RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:u     AD:05-06-92
  CC:9665   BLT:am      DCF:a    CSC:d    MOD:     SNR:       ATC:       UD:05-06-92
  CP:sw      L:lat      INT:     GPC:     BIO:     FIC:0      CON:
  PC:s      PD:1901/             REP:     CPI:0    FSI:0      ILC:       II:0
  MMD:       OR:    POL:     DM:      RR:          COL:       EML:      GEN:   BSE:
  040       NNC‡cNNC
  100 1     Ahlberg, Axel Wilhelm,‡d1874-
  245 10    De correptione iambica Plautina quaestiones‡h[microform]/‡bscripsit Ax
             el W. Ahlberg ; accedit excursus de genetivo pronominali in -ius exeunti
             .
  260       Lundae :‡bApud M_oller,‡c1901.
  300       96 p. ;‡c22 cm.
  600 10    Plautus, Titus Maccius‡xVersification.
  LDG       RLIN
  QD        05-06-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6-8-92 INITIALS M.P.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

DE CORREPTIONE IAMBICA PLAVTINA QVAESTIONES

SCRIPSIT

AXEL W. AHLBERG.

ACCEDIT EXCVRSVS DE GENETIVO PRONOMINALI IN -IVS EXEVNTI.

LVNDAE MDCCCCI
APVD HJALMAR MÖLLER BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS.

LVNDAE MDCCCCI
TYPIS EXPRESSIT E. MALMSTRÖM.

In libris citandis his utor abbreuiationibus:

Ed. mai. = T. Macci Plauti Comoediae rec. instrum. crit. et prolegg. auxit Fridericus Ritschelius sociis operae adsumptis Gustauo Loewe Georgio Goetz Friderico Schoell, Lips. 1871—1894.

Ed. min. = T. Macci Plauti Comoediae ex recensione Georgii Goetz et Friderici Schoell, Lips. 1893—1896.

Leo = Plauti Comoediae rec. et emend. Fridericus Leo, Berolini 1895—1896.

Ahlberg, Proceleusmatici = De proceleusmaticis iamborum trochaeorumque antiquae poesis latinae. Studia metrica et prosodiaca I, II scripsit Axel W. Ahlberg, Lund 1900.

Birt, Hiatus = Der Hiat bei Plautus und die lateinische Aspiration bis zum X. Jhd. nach Chr. von Theodor Birt, Marburg 1901.

Esch, Correptio = De Plauti correptione secundae syllabae uocabulorum polysyllaborum, quae mensura iambica incipiunt. Commentatio philolog. scripsit Joannes Esch, Münster 1897.

Klotz, Metrik = Grundzüge altrömischer Metrik von Richard Klotz, Leipz. 1890.

Langen, Beiträge = Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus von P. Langen, Leipz. 1880.

Leo, Forschungen = Plautinische Forschungen zur Kritik und Geschichte der Komödie von Friedrich Leo, Berlin 1895.

Maurenbrecher, Hiatus = Hiatus und Verschleifung im alten Latein von Bertold Maurenbrecher, Leipz. 1899.

Müller, Prosodie = Plautinische Prosodie von C. F. W. Müller, Berlin 1869.

Skutsch, Forschungen = Forschungen zur lateinischen Grammatik und Metrik von Franz Skutsch, I. Plautinisches und Romanisches, Leipz. 1892.

Skutsch, Jambenkürzung = Jambenkürzung und Synizese von Franz Skutsch (= Satura Viadrina, Festschrift zum 25-jährigen Bestehen des philolog. Vereins zu Breslau, Breslau 1896, pp. 122—144).

Studia Studemundi = Studia in priscos scriptores latinos collata ed. Guilelmus Studemund, I, 1—2. Berlin 1873—1890.

Lindsay, Lat. Sprache = Die lateinische Sprache, Ihre Laute, Stämme und Flexionen in sprachgeschichtlicher Darstellung von W. M. Lindsay, vom Verfasser genehmigte und durchgesehene Übersetzung von Hans Nohl, Leipz. 1897.

Neue³ = Formenlehre der lat. Sprache von Friedrich Neue, Dritte sehr vermehrte Auflage von C. Wagener, Berlin 1892—96.

Stoltz, Lat. Gramm. = Lateinische Grammatik (Laut- und Formenlehre), J. Müllers Handbuch der klass. Altertumswissenschaft, Bd. 2, 2. 3. Aufl., München 1900.

In hoc libello continentur:

Postquam Müller in libro, qui »Plautinische Prosodie« inscribitur, ostendit apud poetas scaenicos longam syllabam iambici uocabuli uel duarum syllabarum, quae simul iambum efficiunt, corripi posse atque huius correptionis exempla collegit, multa de natura et finibus correptionis iambicae a uiris doctis disputata sunt. Quare si quis historiam huius correptionis omnesque controuersias explicare uelit, de uniuersa correptione iterum disserere debet. Quod ego quidem non sequor, sed in hoc libello unam mihi proposui rem, qua diligentius exquisita et explorata alias quoque res obscuras aliquanto illustriores me redditurum esse spero.

Inter eos, qui his proximis annis de correptione iambica scripserunt uel de rebus metricis et prosodiacis disputantes de ea etiam aliquid protulerunt, dissensio est, quam causam huius correptionis fuisse putemus. Nonnulli enim correptionem metro obnoxiam reddunt uel saltem eam et ui quadam metri et ipsa pronuntiatione explicatam uolunt. Cuius sententiae principes habendi sunt Klotz, Seyffert, Leo [1]).

---

[1]) Klotz hanc correptionem »metricam« appellat eamque cum pronuntiatione coniunctam esse negat (»Metrik«, p. 65 sqq.), quamquam in nonnullis uocabulis correptionem ab accentu pendere putat (p. 87). Seyffert accentum in hac re ualuisse omnino negat (»Berl. Phil. Wochenschrift« anni 1891, p. 879 sqq.). Leo suam de correptione iambica sententiam in »Forschungen«, p. 291 ann. explicat, ubi uaria correptionis genera distinguit, quam tamen distinctionem me non satis intellegere confiteor. Itemque Birt, qui hanc quaestionem in Rhein. Mus. uol. 51, p. 240 sqq. attigit, non constans est.

Contra Skutsch [1]) contendit causam correptionis non e ui metrica sed ex ipsa lingua petendam esse, ut correptio usui sermonis respondeat, et hanc legem correptioni constituit: »eine iambische Silbenfolge, die den Ton auf der Kürze trägt oder der die tontragende Silbe unmittelbar folgt, wird pyrrhichisch». Qui cum addat, eum accentum (Ton), qui correptionem efficiat, aut accentum uocabulorum aut accentum uersuum i. e. ictum esse, sibi ipse repugnare uidetur, quod hoc modo et ipse metro aliquid attribuit. Quamquam animaduertendum est eum existimare ictum et accentum (uocabulorum atque adeo enuntiati) apud Plautum, quantum fieri possit, inter se conuenire. Et hac in re Lindsay cum Skutschio facit, quamquam angustioribus finibus correptionem circumscribit [2]). In eandem sententiam ipse in dissertatione mea »Proceleusmatici» cap. III correptionem iambicam breuiter tractaui, ubi id constitutum uolui, *ne correptio iambica, nisi syllaba correpta accentu careret, admitteretur.* Sed quomodo haec lex in singulis uocabulis ualuerit, tum exemplis magis significaui quam probaui. Itaque non alienum esse puto de hac lege fusius disserere, praesertim cum multa exempla huic legi obstare uideantur. Si igitur in fabulis non paucas syllabas huius generis, quae accentum uocabuli sustineant, corripi inuenimus, nobis probandum est aut has syllabas ob singulares causas, quae explicandae sunt, accentum amisisse aut legem nostram ob certas causas uiolari posse. Et sic multis locis iam ante Skutsch falsam, quae uocatur, correptionem explicauit [3]). Sed ut haec tota res diiudicetur, omnes singuli loci, qui correptas syllabas praebeant, inspiciantur necesse est. Atque primum natura et ipsius uocabuli et uocabulorum uel antecedentium uel subsequentium est respicienda. Tum examinandum est in quibus uersibus correptio inueniatur — neque enim opus est uersus iambicos et anapaesticos iisdem legibus obstringi — et, quoniam in iambis et trochaeis quosdam pedes liberius aedificatos esse constat, quem locum uersus correptio obtineat.

[1]) »Vollmöllers Jahresbericht f. roman. Phil.» I, p. 33 et »Forschungen», p. 6.

[2]) Videas ex. c. »Lat. Sprache», p. 233, 243.

[3]) In »Jambenkürzung».

In his rebus tractandis eos iambos omisi, qui bisyllabis iambicis et duobus monosyllabis iambum efficientibus contineantur, quippe quibus legem de accentu nostram non uiolari appareat. Omnes ceteras correptiones attuli atque ita composui, ut primum de ea agerem correptione, ubi syllabae iambi correpti eiusdem sunt uocabuli, tum de ea, ubi syllaba breuis, quae correptam syllabam antecedit, monosyllabo (uel bisyllabo eliso) uel ultima polysyllabi constat et ipsa syllaba correpta prima syllaba uocabuli sequentis continetur.

I.

Syllabae iambi correpti eiusdem sunt uocabuli.

A. Syllabae iambi correpti in initio uocabuli sunt.

Si uocabula huius generis recensemus, duo genera statim discernimus. Inuenimus enim uocabula, in quibus syllaba correpta accentu caret, et ea, in quibus haec syllaba accentum sustinet. Et cum in uocabulis prioris generis correptio cum lege nostra de accentu constituta optime conueniat, in uocabulis alterius generis ei obstare uidetur. Sed etiam in multis horum uocabulorum correptionem legitimam esse infra probabitur, cum in his haec secunda syllaba accentum aut non habeat aut amiserit. Tamen uocabula supersunt, quorum correptio ne hoc quidem modo explicatur, de quibus, postquam cetera tractaui, agam.

1. Primum uocabula *polysyllaba* in examen uocabo. In plurimis horum uocabulorum tertia syllaba, quae post syllabam correptam sequitur, accentum et ictum simul fert. Quare, cum nihil praebeant offensionis neque in iis quidquam animaduersione dignum inuenerim, satis habeo uersus afferre.

a. Syllaba correpta *positione* longa est.

Alĕxănder	Most. 775	Alexándrum magnum atque Agathoclem aiunt maxumas
Arĭstărchus	Poen. 1 (prol.)	Achíllem Aristarchi mihi commentari lubet

cauĭllătio	St. 228	cauillátiones, adsentatiunculas.
	Truc. 685	cauillátiones uis, opinor, dicere
ferĕntărius	Trin. 456	ferentárium esse amicum inuentum intellego
iuuĕntătis	Cpt. 104	⟨nam⟩ núllast spes iuuentutis, sese omnis amant
		In initio uersus aliquid deest, sed mensura et accentuatio uocabuli »iuuentutis« certae sunt.
	Curc. 38	iuuentúte et pueris liberis, ama quidlubet
	Amph. 154	iuuentútis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem
magĭstrătus	Pers. 76	ubi sínt magistratus quos curare oporteat
	Rud. 477	magistrátus, siquis me hanc habere uiderit
	Truc. 761	iam hércle apud no⟨uo⟩s omnis magistrátus faxo erit nomen tuom
		Sic Leo libros et emendationem Bergkii secutus, in ed. mai. et min. *omnis* secluditur.
minĭstrăre	Curc. 369	tú tabellas consignato, híc ministrabit, ego edam
	St. 689	nósmet inter nos ministremus monotropi. ‖ hoc conuiuiumst
		Sic Leo duce Ritschelio, *P* monotrophe hoc
patĕllărius	Ci. 522	dí me omnes magni minutique et etiam patellarii
		A minuti et etiam, *P* minutique et patellarii
perĭstrŏma	St. 378	túm Babylonica et peristroma, tonsilia et tappetia

quadringénti Rud. 1324 quadringéntos. ‖ tramas putidas. ‖ quingentos ‖ cassam glandem

Ba. 934 qui mísere male mulcabere quadringentis Philippis aureis

Ba. 974 quadringéntos filios habet atque equidem omnis lectos sine probro

sedĕntárius Aul. 513 sedentárii sutores, diabathrarii

senĕctútis Trin. 398 suaé senectuti is acriorem hiemem parat

is om. *A*

supĕlléctilis Poen. 1145 tace átque parce muliebri supellectili

St. 62 iámquidem in suo quicque loco nisi erit mihi situm supellectilis

tarĕ⟨n⟩tinus Truc. 649 qui ouís Tare⟨n⟩tinas erat mercatus de patre

B quo uistaret inaserant, *CD* quo uis staret in aserant

trapĕzíta Trin. 425 trapezítae mille drachumarum Olympicom

A trapaizite, *CD* drahcumarum

Correptio uocabuli »trapezita« non offendit, ut ob hanc causam uerba traicere opus sit; neque credo necessarium esse formam »tarpessita« accipere, quam *Ritschl* hoc loco et duobus alteris restitutam uoluit, praesertim cum omnibus his locis »trapezita« a libris traditum sit. Sed si uersum intactum relinquimus, aut *dráchumarúm Olympicom* hiatu accepto aut *dráchumárum Ol.* prima syllaba producta nobis scandendum est. Productione syllabae *drach* ne offendaris, monent *Ācheruntem* (Most. 509) et *Ācheruntis* (Trin. 525). Qua de re cfr. *Birt,* »Hiatus« p. 45 sq., quem tamen credo correptionem non recte ea re explicasse, quod *h* consona spirans esset; nam, quod sciam, ei non obtigit, ut probaret *h* hoc

sono indutum esse. Potius equidem productionem ita explico, ut *c* consonam, quae post uocalem acutam sequeretur, producte pronuntiatam esse putem. (Scansio ed. min. non est toleranda.)

uetŭstátis Poen. 700 uetustáte uino edentulo aetatem inriges

uolŭntátis Mil. 1124 quin sí uoluntate nolet, ui extrudam foras

Ps. 537 tuá uoluntate ‖ ius bonum orat Pseudolus

St. 59 néc uoluntate id facere meminit, seruos is habitu hau probust

Trin. 1166 si íd mea uoluntate factumst, ⟨est⟩ quod mihi suscenceas

est add. Camerarius.

uolŭptátis Amph. 939 capiúnt uoluptates, capiunt rursum miserias

Merc. 548 uoluptáte, uino et amore delectauero

Ps. 69 harúnc uoluptatum mihi omnium atque itidem tibi

P harum; *A* ibidem, *P* ibidea

Rud. 459 uoluptátem inesse tantam: ut hanc traxi lubens

Poen. 1263 multórum annorum miserias nunc hac uoluptate sedo

St. 532 nós potius oneremus nosmet uicissatim uoluptatibus

uolŭptábilis Ep. 21 uoluptábilem mihi nuntium tuo aduentu adportas, Thesprio

Sic *A*, adtulisti *P*

uolŭptárius Men. 259 uoluptárii atque potatores maxumei

Rud. 54 (prol.) eat ín Siciliam: ibi esse homines uoluptarios

Mil. 641 néquedum exarui ex amoenis rebus et uoluptariis

Poen. 602 líberum ut commostraremus tibi locum et uoluptarium
A uoltarium

b. Syllaba correpta *natura* longa est [1].

amĭcítia Merc. 846 uítam, amicitiam, ciuitatem, laetitiam, ludum, iocum
(Cfr. »Proceleusmatici» p. 29.)

calĕfíeri Pers. 105 calefíeri iussi reliquias. || pernam quidem
» 110 memini: út muraena et conger ne calefierent
Ep. 655 Épidice, fateor — || abi intro ac iube huic aquam calefieri

pecŭlátus Pers. 555 pérfidia et peculatus ex urbe et auaritia si exulant
Etiam scandere licet: pecúlatu' ex —

pudĭcítia Amph. 930 ibo égomet: comitem mihi Pudicitiam duxero
De hoc uersu cfr. »Proceleusmatici» p. 28 sq.
Ep. 405 pudicítiam quisquam suae seruare filiae

Syrăcúsae Men. 37ʹ(prol.) postquám Syracusas de ea re rediit nuntius

utrĭúsque Truc. 794 cónueniunt adhuc utriusque uerba. || uae misero mihi

Non opus est h. l. formam *utri(s)que* constituere, quod correptionem tolerabilem esse exemplis antea adlatis efficitur. Ceterum cfr. quae de genetiuo pronominali in *-ius* exeunti in excursu I disputaui.

---

[1]) Vocabula cum *bene- male-* composita omisi.

His exemplis correptionis probatis, correptio iure constituenda est in:

lĭĕnósus Cas. 414 périi: cor lienosum, opinor, habeo: iam dudum salit
Libri *iamiam*, quod correxit Pylades

quiĕríntne Pers. 78 quieríntne recte necne: num afuerit febris
Libri *quieuenerintne*

Eandem correptionem *anapaesti* habent, cuius exempla haec sunt:

gubĕrnábunt (Mil. 1091), *lubĕntíssimo* (Ps. 1321), *quadrĭngéntis* (Ba. 1183), *sagĭttátis* (Trin. 242 b), *uenŭstátum* (Poen. 1178; uersus 1177 corruptus est, ut de »uenustissima» nihil certi proferri possit), *uolŭptátibus* (Trin. 1116) — *madĕfáctatis* (Ps. 184), *pudĭcítiam* (Ep. 541; cfr. »Proceleusmatici» p. 29, ubi tamen falsum metrum constitui).

Praeter hanc mensuram usitatiorem, ubi et accentus et ictus in tertiam syllabam cadunt, etiam alteram haec uocabula rarius patiuntur, in qua prima syllaba ictu feritur. Quod in quadrisyllabis tum fieri potest, cum elisa sunt aut ultima quoque ictu percutitur. Et hic ictus primae syllabae ex eo explicatur, quod in his uocabulis praeter fortem accentum tertiae syllabae leuis accentus in prima adest, qui cum alter accentus deletus sit, uim quandam maiorem accipiat, qui quidem accentus correptionem secundae syllabae efficit. Itaque ne hic quidem modus percutiendi legem de accentu nostram tollit. Namque haec uocabula prorsus eodem modo percussa sunt quo quadrisyllaba quae a pyrrhichio incipiunt, uelut: meretrícem > méretricém, peregrínum > péregrinúm. Versus iambici et trochaici, in quibus haec percussio cum correptione coniuncta inest, hi sunt:

a. Syllaba correpta *positione* longa est.

Álĕxandér Ba. 947 Mnesílochust Alexander, qui erit exitio rei patriae suae

Ps. 147 ***Alexandrina*** habet, ubi tamen aut Aléxandrína aut Álexandrína scandi potest.

cáuĭllatór Truc. 683 dicáx sum factus: iam sum cauillator probus

Forma syncopata »caulator«, quam editores uulgo receperunt, prorsus non necessaria est.

égĕstatém Trin. 338 quía sine omni malitiast, tolerare eius egestatem uolo

AD eius egestatem, *BC* egestatem eius —

Trin. 358 nihil probat, cum aut *quoíus egéstatém* aut *quoíus egéstatém* aut *quoíus égestatém* scandere liceat.

íuuĕntutís Most. 30 quo némo adaeque iuuentute ex omni Attica

Ps. 202 b cólere iuuentutem Atticam

mágĭstratúm Amph. 74 (prol.) quasi mágistratum sibi alteriue ambiuerit

pótĕstatém Cpt. 934 páter, et poteris et ego potero et di eam potestatem dabunt

sénĕctutém St. 568 póste ibo lau[a]tum in pyelum: ibi fouebo senectutem meam

Libri: postea ibo lauatum

trápĕzitá Ep. 143 díc modo: unde auferre me uis? a quo trapezita peto?

Quod in ed. mai. et min. duce Guyeto uerba *me uis* traiecta sunt, sine iusta causa factum est.

In Cpt. 193 ***mihi*** monosyllabe pronuntiato *trapézitám* percussio restituitur.

uicĭssatím St. 532 nós potius oneremus nosmet uicissatim uoluptatibus

uólŭptatís Cas. 426 et méis inimicis uoluptatem creauerim

» 463 ut tíbi morigerus hodie, ut uoluptati fui

Ps. 1257 hic ómnes uoluptates, in hoc omnes uenustates sunt

Sic ed. mai. et min. hunc uersum dimetiuntur, Seyffert troch. octon. constituit.

Ep. 557 quí per uoluptatem tuam in me aerumna⟨m⟩ obseuisti grauem

Poen. 1205 nímiae uoluptatist quod in extis nostris portentumst, soror

Rud. 1183 séquere me, Ampelisca. ‖ quom te di amant, uoluptatist mihi

» 1373 iúratus sum, et nunc iurabo, siquid uoluptatist mihi

Sed in hoc uersu alia scansio licita est: síquid uolúptatíst

b. Syllaba correpta ***natura*** longa est.

ámători Truc. 46 si irátum scortum fortest amatori suo

lábĕfactó Merc. 403 lábefacto paulatim. uerum quod praeterii dicere

pátĕfeci Most. 1046 óstium quod in angiportost horti, patefeci fores

pécŭlatúm Ci. 72 pérfidiosus est amor. ‖ ergo in me peculatum facit

In Merc. 741 *amátorí* percutio, cum ***mihi*** monosyllabe pronuntiandum sit.

Si hunc modum percutiendi in *anapaestis* fere non inuenimus, hoc casui tribuendum est. Vnum exemplum adnotaui: Poen. 1183 iúuentut[e]

Denique, cum de correptione polysyllaborum ago, mihi afferenda sunt pauca polysyllaba, in quibus ictus et accentus non in eam syllabam, quae post syllabam correptam sequitur, sed in quartam cadunt. Alter ictus in prima syllaba situs est, quam syllabam etiam leniore accentu praeditam esse puto. Verba sunt: ***ádŏptatícium*** (Poen. 1045), ***púgĭlla-***

tórium (Rud. 721), *cálĕfactábere* (Cas. 400), ad quae nonnullas formas uerborum cum praepositionibus compositorum addo, in quibus, cum duae uocales collidant, synizesis uulgo constituitur. Sed de his idem ac de iis uocibus, quas modo attuli, ualet; quare hiatus cum correptione coniunctus uix est aspernandus. Verba, de quibus in »Proceleusmatici« p. 88 ann. 2 iam egi, sunt haec: Ba. 976 cóemptiónalem, Curc. 344 cóaccedúnt, Cpt. 641 déartuátus, 672 déartuáuisti, Cas. 467 déosculábor, Mil. 884 déasciárei, 1060 praéoccupáto, Trin. 648 praéoptauísti.

Nunc uero, cum polysyllaba, in quibus correptio legitima est, tractaui, ad ea transeo, in quibus secunda syllaba, quae correptionem patitur, accentum fert. Et apparet, si lex constituta ualuerit, correptionem in huiusmodi uocabulis deesse debere. Sed cum exempla correptionis non desint, aut lex nostra est delenda aut causae afferri debent, quibus adducti correptionem excusandam esse probamus. Cumque singula uocabula examinabimus, apparebit, in aliis horum correptionem defendendam esse, in aliis autem respuendam.

simĭllumaé As. 241 pórtitorem simillumae sunt ianuae lenoniae

In hoc uocabulo correptionem si non necessariam attamen tolerabilem esse contenderim. Nam quis negare uult Plautum *simíllumaé sunt* acuere potuisse? Sed cum post »simillumae« enclitica »sunt« sequatur, haec duo uocabula in unum coaluerunt, cuius paenultima *ae* accentu principali acuitur. Quare cum uis accentus eius qui est in »simillumae« ualde minuta sit, correptio non prohibetur. Accedit quod analogia uocabulorum, de quibus p. 9 sqq. egi, correptionem faciliorem reddidit.

uidēlicét apud Plautum quinquies occurrit

Cpt. 286 uídelicet propter diuitias inditum id nomen quasist

Mil. 1283 Nauclérus hicquidemst. || uidelicet accersit hanc . . .
Finis uersus in *A* deest, *P* hac itam hic credo

Most. 980 uéra cantas. || uana uellem: patris amicus uidelicet

St. 555 uídelicet parcum illum fuisse senem . . .
Finis uersus corruptus est.

» 557 uídelicet non fuisse illum nequam adulescentem, qui ilico

Semel *uidēlicét* percussum est in uersu a Müllero sic restituto:

As. 599 negótiosum interdius uidelicet Solonem

Quidquid de priore parte compositionis huius uocis iudicamus, certum est *e* uocalem natura longam esse [1]. Ex hoc igitur efficitur, si legem uulgarem accentus latini sequamur, *uidélicet* acuendum esse. Sed ut saepe apud Plautum uestigia antiquioris accentus reperiuntur, ita etiam in hac uoce. Et obseruandum est praecipue in uocibus compositis, in quibus uis compositionis facile perspiciebatur, Plautum adamasse utroque modo acuere, ut et eo accentu qui posteriore aetate unus ualebat et eo qui temporibus antiquioribus in usu erat uteretur. Conferas uelim míhique: mihíque, íbidem: ibídem sim. Quod si recte disputaui, conditio adest, sine qua secunda syllaba corripi non possit.

áuŏnculús his tribus locis in libris traditum est:

Aul. 685 fac méntionem cum áuonculo, mater mea

» 778 génere quo sum gnatus: hic mihíst Megadorus áuonculus

[1] Videas Skutschium, »Jambenkürzung«, p. 134.

Aul. 799 éa re repudium remisit áuonculus causa mea

In quarto loco, ubi eandem mensuram huius uocis probarunt:

Aul. 782 éam tu despondisti, opinor, meo áunculo? ‖ omnem rem tenes

ut ea seruetur, necesse est pron. »meo« deleatur, quod uerbum synizesi pronuntiatum simulque elisum tolerandum non est. Hoc autem ab ea re pendet, quomodo hoc substantiuum pronuntiemus. Nam praeterquam quod correptio acutae syllabae offensionem praebet, ipsa natura sonorum nobis suadet, ut trisyllabam pronuntiationem accipiamus. Klotz et Müller formam syncopatam »auonclus« restituere uolunt. Sed cum hoc in u. 799 nisi uiolentissima uerborum traiectione fieri non possit, atque, quod plus ualet, Plautum in diminutiuis formas syncopatas usurpare non solere constet, hanc eorum sententiam repudio. Contra nihil impedire uideo, quin hoc uocabulum cum Ritschelio, Corssenio, Eschio »aunculus« pronuntiemus. Quod Müller dicit hanc formam non plautinam esse, quod haec scribendi ratio (*au* pro *auo*) non Plauti temporibus fuerit sed primum in aetate principum exstiterit, non multum ualet. Namque licet haec ratio scribendi his primum temporibus uulgaris fuerit — id quod ex multitudine exemplorum a Solmsenio collectorum satis efficitur[1]) — tamen ipsa pronuntiatio multo ante haec tempora in usu fuisse potest. Etiam ea re haec pronuntiatio commendatur, quod sic omnes quattuor uersus nulla uoce deleta aut traiecta ser-

[1]) »Studien zur lat. Lautgeschichte«, p. 45 sqq.

uantur. Neque tamen ob hanc rem quadrisyllaba forma, quae in Aul. 35 tradita est, necessario est delenda, quod Leo sumit. Qui scit, quam saepe Plautus in aliis uocibus ancipitem pronuntiationem admiserit, hoc uix potest contendere.

Supersunt quinque uersus, in quibus falsa correptio tradita est, quos uersus etiam editores aliquo modo emendarunt. Neque dubium est, quin correptio damnari debeat.

ámăsiós Truc. 668 nunc égo istos mundulos urbanos amasios

Alii aliud coniecerunt; fortasse recte Leo *mund(u)los* pronuntiandum putat.

ĕpĭstulám Ps. 997 própera pellegere epistulam ergo. ‖ id ago, si taceas modo

Leo unus uersum intactum reliquit; in ed. mai. et min. duce Bothio uerba sic transposita sunt: própera pellegere ergo epistulam. — Certe ordo uerborum falsus est. Cum autem »ergo« imperatiuum subsequi soleat, hanc traiectionem praefero: *própera ergo pellegere epistulam* —

hírŭndinés Rud. 604 natás ex Philomela atque ex Progne esse hirundines

Pro hac lectione, quam *P* praebet, Schoell »Philomela Attica esse« substituit.

Pálaĕstrió Mil. 1313 qui á matre et sorore uenit. ‖ uideo. ‖ audistin, Palaestrio

B audistis in, *CD* audistin, quod Guyet in »audin« correxit.

trágoĕdiám Cpt. 62 (prol.) conári desubitó nos agere tragoediam

BD desubitontos, *B*[2] desubito nos;

recte Bothe uerba traiecit: *desubito agere nos*

Quoniam igitur in quadrisyllabis acuta syllaba non nisi ob certam causam corripitur, hac re commoueor, ut in iis quadrisyllabis, quorum secunda syllaba acuta in hiatu sit, synizesin constituam ut in: *deósculér* (Cas. 136, 453), *Cleóstratá* (Cas. 393, 541, 1000), *Diéspitér* (Poen. 869). Ad haec uocabula etiam addenda erant *diútiús* (Trin. 685) et *duódecím* (Ep. 675), nisi analogia uocum »diu» et »duo» correptionem tolerabilem redderet. Ceterum cfr. quae de »diutius» in »Proceleusmatici», p. 99 sqq. disserui.

Si *anapaestos* inspicimus, correptionem quadrisyllaborum hac lege non obstrictam esse uidemus. Exempla legis uiolatae haec sunt:

nitŏríbus	Cas. 217	omníbus rebus ego amorem credo et nitoríbus nitidis anteuenire
Philŏxéne	Ba. 1106	Philoxéne, salue. ‖ et tu, unde agis? ‖ unde homo miser atque infortunatus
satĕllítes	Trin. 833	distráxissent disque tulissent satellites tui me miserum foede

2. Cum correptionem uocabulorum *trisyllaborum* tractaturus sim, primum de uocabulis elisis pauca dicam. Inter omnes constat in uocabulis elisis accentum e suo loco in syllabam quandam praecedentem retrahi posse. Hoc etiam in trisyllabis media syllaba producta fieri potest, ut accentus in primam syllabam cadat. Quo iure igitur in *ámbor(um)*, *índoct(ae)*, sim. prima syllaba acuitur, eodem in *éril(e)*, *cáuiss(e)* cet. primae syllabae percussio offendere non debet. Et in his uocabulis, quae elisione iambicae fiunt, si hoc modo accentus retrahitur, necesse est ultima corripiatur. Eandem enim uim habent atque bisyllaba iambica eodemque modo in uersu tractantur. Vt illa iambica, si thesin uel arsin explent, correpta pronuntiantur, ita haec quae elisione iambica facta sunt. Itaque cum Klotzio consentio

hanc correptionem legitimam esse contendenti, quamquam plerique eam damnant.

Trisyllaba elisa, in quibus correptio inest, haec inueni.

a. Syllaba correpta *positione* longa est.

Mil. 1118	dicás uxorem tibi *necessum* ésse ducere *BD³FZ* necessum, *CD¹* necessus; *esse* omnes delent.
[Most. 478	quid ístuc est *scelesti* aút quis id fecít? cedo Sed credo »sceleris» recte restitutum esse; uide Phil. XXV, p. 170 sq.]
Most. 504	*scelestae* haé sunt aedes, impiast habitatio
[Trin. 43	hic íllest *senecta* aetate qui factust puer Etiam scandere licet: hic illést]

As. 217, 18	áues adsuescunt: *necesse* est facere sumptum qui quaerit lucrum Ed. mai.: — — aues Ádsuescunt
Ba. 51	dúae unum expetitis palumbem: perii, *harundo* alas uerberat Editorum alius aliud emendauit.
[Cas. 251	*rélinque* aliquántum orationis, cras quod mecum litigas Versum uulgo iambice dimetiuntur.]
Men. 827	— — tibi aút adeo isti, quae mihi *molesta* est quoquo modo Initium uersus corruptum est.
Merc. 488	*Áchillem* orabo, aurum ut mihi det Hector qui expensus fuit
Mil. 185 b	*prófecto* ut ne quoquam de ingenio degrediatur muliebri
Poen. 907	*prófecto* ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit

Ps. 995 nám *necesse* est hodie Sicyoni me esse aut cras mortem exsequi

In ed. mai. uerba traiecta sunt.

Ps. 1113 égo, ut mihi imperatumst, etsi abest hic *adesse* erum arbitror

Versus in cantico inest, Leo dimetrum iamb. et dimetrum troch. catal. constituit.

St. 520 út quoique homini res paratast, *perinde* amicis utitur

Duos uersus *A* praebet.

[St. 715 bíbe, tibicen: age, siquid agis: *bibendum* hercle hoc est: ne nega

Sed fieri potest, ut uersus hoc modo scandatur: — — — áge sïquid ágis: bibéndum — — —]

Cas. 240 *sénecta* aetate | unguentatis per uias, ignaue, incedis?

In ed. mai. *senectan* emendatur.

b. Syllaba correpta *natura* longa est.

[Ba. 592 non ít. *negato* esse ituram. abi et renuntia

Recte Ribbeck, ut sententiae satisfaciat, *negat se* scribit.]

Ba. 1017 prius té *cauisse* ergo quam pudere aequom fuit [1]

[Curc. 387 et équidem *reliqui* in uentre cellae uni locum

Sed »et quidem» recte scribi credo; cfr. As. 645, Cpt. 562, Merc. 1000, Mil. 259, Pers. 187.]

Curc. 401 *licetne* ínforare, [si] incomitiare non licet?

Sic uersus facillime sanatur coniunctione *si*, quae in libris tradita est, deleta. Editorum alius aliud tentauit.

Merc. 804 rus *ábisse* aiebant. nunc domum renuntio

Ed. mai. et Leo: abiisse aibant

---

[1] Curc. 318 Bücheler *gramarum* pro *os amarum* restituit.

[Ps. 1073 *rogato*, ópsecro hercle: gestio promittere

A roga, *P* rogato]

[St. 256 *negato* ésse quod dem nec mihi nec mutuom

A nega, *P* negato]

[Cpt. 199 eámque ut *eríli* imperio ingeniis uostris lenem reddere

Versum corruptum esse sententia ostendit; Nettleship, quem sequitur Leo, scribit: ut eríli imperio eamque ingeniis —]

Aul. 185 iam íllic homo aurum me scit *habere*, eo mé salutet blandius

Vulgo uerba traiciuntur: scit me habere

» 599 *hérile* imperium ediscat, ut quod frons uelit oculi sciant

Ep. 64 quíd nunc me retines? || *amatne* istam quom emit de praeda? || rogas?

[Ep. 135 íllam *amabam* ólim: nunciam alia cura impendet pectori

Sed scansionem: íllam amábam olím: nunc iam ália — huic praeferendam esse docuit Langen, »Beiträge», p. 287.]

Pers. 265 núnc *amico* homini binis domitis mea ex crumina largiar

A homini bibus domi[ti]s, *P* hominibus domitis; sed fortasse pro »binis» legendum est »boues (bus)»; uide Zanderum, »Vers. Ital.», p. CX. — Versum 667 omisi, cum incertus sit.

[Ps. 758 séd properate. || prius illic erimus quam tu. || *abite* ergo ocius

Sic libri, sed »illic» in »illi», ut saepe, mutandum est, qua re uersus melius profluit.]

Rud. 1212 éum *rogato* út relinquat alias res et huc ueniat. || licet

B rogat, *CD* rogato; uulgo »roga» scribunt.

[St. 568 póste ibo *lauatum* ín pyelum: ibi fouebo senectutem meam

Libri: postea; sed fortasse recte editores formam tertiae coniug. »lautum» induxerunt, cum Plautus »lauis» (Ps. 10), »lauit» (Most. 111, Truc. 902), »lauere» (Amph. 1102 teste Nonio) usurpauerit.]

St. 590 ét equidem *simitu* haú maligne uos inuitassem domum

» 696 *ámica*, uter utrubi accumbamus? || abi tu sane superior

Ed. mai.: núnc uter —, Leo: áge dice uter —

Trin. 983 própheras an non properas *abire* actutum ab his regionibus

Ed. mai. et Leo: ire

Truc. 931 *uénitne* in mentem tibi quod uerbum in cauea dixit histrio

Si in his uocabulis correptio probatur, nihil obstare apparet, quin ea etiam in iis uocibus elisis accipiatur, quae, si non elisae sunt, per synizesin pronuntiari debent. Cum longum sit omnia exempla enumerare, pauca adnotabo:

eŏrum (Amph. 483, 1139, Merc. 847, Rud. 398), *eărum* (Poen. 1095), *meărum* (Poen. 1123), *tuŏrum* (Ps. 219), *eŏdem eŭndem* cet. (Amph. 805, Men. 730, Merc. 674, 856, Most. 220, Rud. 577), *deŏrum* (Cpt. 622, Rud. 319), *puĕllam* (Poen. 1301), *liĕni* (Curc. 240), *quiĕsce* (Merc. 448), *fuĭsse* (Ba. 949, Cpt. 638, Mil. 544, St. 557), *ruĭsse* (St. 82).

Nimirum *anapaesti* eandem correptionem habent, quod ex Poen. 1187 álĭsque hominum, Ps. 168 ábĭte atque, Rud. 957 b ferŏque eí satis probatur.

Nunc uero ad trisyllaba non elisa transgredior. Cum in his uocabulis media longa syllaba acuta sit, sequitur, ut ea, si lex constituta ualuit, corripi non debeat. At concedendum est, si libros sequimur, locis non paucis uocabula huiusmodi correpta reperiri. Num igitur in his uocabulis lex nostra non ualuit? Certe ualuit. Sed multa uocabula, quae hanc legem spernere uidentur, eam reuera non uiolant. Inter haec uocabula omnia ea numero, quorum paenultima, quamquam longa erat, tamen Plauti temporibus non acuebatur.

Huc primum ea refero, quae bisyllabis ultima ancipiti (i. e. in uocalem ancipitem uel *s* consonam breui uocali praeeunte desinentia) et encliticis adfixis continentur. De his uocabulis, inter quae sunt *egone*, *mihique*, *priusne*, *magisque*, *quibuscum*, *priusquam*, ad ea quae in »annotationes in accentum plautinum» disputaui reicio.

Tum in hoc numero collocandum est substantiuum *Philippus*, de quo iis, quae Esch disseruit, adsentior [1]. Vbicumque enim *Philippus* nummum significat, mediam syllabam correptam habet et aut antepaenultima aut ultima ictu feritur. Antepaenultima ictu percutitur his locis:

As. 153 únum quodque istorum uerbum nummis, Philippeis aureis

Ba. 230 mille ét ducentos Philippos attulimus aúreos

Sic libri et Leo, ut in »attulimus aureos» synaloephe adhibeatur; ceteri »Philippum» Bentleyum secuti inducunt.

» 272 ducentós et mille Phílippum. || tantum debuit

De hoc uersu cfr. p. 26 sq.

» 590 uel út ducentos Philippos reddat aureos

» 868 nunc nísi ducenti Philippi redduntur mihi

» 879 quid fít? || ducentis Philippis rem pepigi. || Ah, Salus

Libri: uah

[1] »Correptio», p. 38 sq.

Ba. 919 nunc quási ducentis Philippis emi filium
» 934 qui mísere male mulcabere quadringentis Philippis aureis
» 969 cépi spolia. is nunc ducentos númmos Philippos militi
» 997 patér, ducentos Philippos quaeso Chrysalo
» 1026 da míhi ducentos nummos Philippos, te opsecro
» 1050 binós ducentos Philippos iam intus ecferam
» 1183 (anap.) quadringéntis Philippis filius me et Chrysalus circumduxerunt
Curc. 440 solidám faciundam ex auro Philippo, quae siet
Libri: philippeo
Poen. 166 trecénti nummi Philippi? || sescenti quoque
B philipii, *CD* philippii
» 415 trecéntos Philippos Collabisco uilico
» 558 quó modo trecentos Philippos Collabisco uilico
» 599 uérum ad hanc rem agundam Philippumst: ita nos adsimulabimus
» 670 trecéntos nummos Philippos portat praesidii
» 732 cum aurí ducentis nummis Philippis? || quippini?
» 771 me esse hós trecentos Philippos facturum lucri
» 1363 trecéntos Philippos: credo, conradi potest
Trin. 955 Phílippum, quod me aurum deferre iussit ad gnatum suom
Libri: philippeum
» 959 si húnc possum illo mille nummum Philippu⟨m⟩ circumducere
m add. Ribbeck.
» 1158 spóndeo et mille auri Philippum dotis. || dotem nil moror

Vltima in his uersibus percussa est:

Ba. 882 ducéntos nummos aureos Philippós probos
» 1011 Philippís redemi uitam ex flagitio tuam
Mil. 1064 (anap.) plus mi aúri millest modiorum Philippi. | praeter thensauros

Trin. 965 átque etiam Philippum, numeratum illius in mensa manu
Libri: philip(p)eum

Praeterea elisum est in Mil. 1061 (anap.); Rud. 1314 corruptus est, ut nihil certi de hoc uocabulo iudicetur.

Haec tanta copia formarum correptarum, praeter quam nullum exemplum longae mediae syllabae exstat, nobis documento est correptionem casui non tribuendam esse. Neque dubium est, quin Plautus, cum formis correptis semper usus esset, sermonis uulgaris pronuntiationem sibi adsumpserit. Quae pronuntiandi ratio facillime explicatur. Cum hic nummus graecus in Italiam transportatus esset, simul cum nummo nomen quoque et pronuntiationem graecam romani receperunt. Itaque accentus antepaenultimae seruatus est, quare fiebat, ut media syllaba corriperetur. Et haec sententia eo optime confirmatur, quod Plautus in hoc uocabulo nomen personae significante bis (Aul. 86, 704) itemque in nomine feminino *Philippa* semel (Ep. 636) mediam syllabam produxit, quod discrimen pronuntiandi multi falso suspicati sunt. Neque suspicionem commouere debet, si Plautus semel (Pers. 339) in nomine personae alterum pronuntiandi modum adhibuit. Hac causa Müllero [1]) adstipulari non possum, qui dicit prorsus nihil interesse, quomodo hoc uocabulum percutiatur, quod accentus graecus huius uocabuli »Philippus» tam inconstans sit (»grade so indifferent») quam accentus uocabulorum »Achilles, Cleostrata, sim.» Quoniam Müller. quae alia uocabula huc referri existimaret, non dixit, satis mihi est haec duo, quae attuli, inspicere. Sed in »Cleostrata» correptionem non adesse sed synizesin necessario adhibendam esse, ex causis, quas ante probaui, etiam nunc contendo. Quod autem ad »Achilles» attinet, nullus nunc uersus exstat, qui formam trisyllabam correptam praebeat; namque in forma elisa »Achillem» (Merc. 488) aliam

[1]) »Prosodie», p. 247 sq.

rem esse supra ostendi et in Mil. 1054 »mí Achillés» scandendum est. — Priusquam hoc uocabulum relinquam, mihi id addendum est, quod in adiectiuo *Philippeus* eadem correptio paucis locis uulgo constituitur. Langen quidem negat hoc adiectiuum a Plauto usurpatum esse, quare in his uersibus substantiuum restitutum uult. Quod num is recte fecerit, non diiudico. Certum est correptionem ansam non praebere hoc adiectiuum delendi aut hos locos emendandi. Versus, de quibus agitur, sunt Ba. 220, Poen. 714, 781, Trin. 152. Ceterum uide Langenum, »Beiträge», p. 86 sq.

Etiam uocabulum *fenestra* ab iis uocabulis secludendum est, quae legem constitutam uiolant. Dissensio inter uiros doctos fuit, utrum *fenstra* an *fĕnĕstra* apud Plautum pronuntiaretur. Cum multi formam syncopatam *fenstra*, quae a Festo antiquis uindicatur aliisque uocabulis similis generis *(monstrum* < *mónĕstrum)* probatur, in textum plautinum introducere uelint, alii formam non syncopatam, quam libri praebent, seruant. Sed utra forma accipiatur, ad hanc rem, qua de nunc ago, prorsus nihil interest. Id enim constat formam syncopatam nisi ex ea forma explicari non posse, quae primam syllabam acuat, i. e. *fénĕstra*. Si igitur hanc formam secundum codices Plauto tribuimus, nihil periculosi facimus, et correptionem legitimam statuimus. Loci hi sunt:

Cas. 132 quid fácies? ‖ concludere in fenestram firmiter
Mil. 379 neque fénestra nisi clatrata. nam certe ego te hic intus uidi
Rud. 88 inlústriores fecit fenestrasque indidit

In hoc numero uocabulorum, in quibus antepaenultima accentu feriebatur, ut substantiuum *sagitta* collocarem facile adducerer, cum tres loci plautini correptionem postulare uideantur. Sed quoniam alia argumenta, quibus hic accentus et correptio probetur, plane desunt — nam etiam linguae romanicae quae uocantur duplicem consonam *t* prae

se ferunt [1]) — haec res non modo dubia mihi uidetur, sed etiam me commouet, ut correptionem alia uia explicem. Ex. correpta in his uersibus insunt:

Aul. 395 confíge *sagittis* fures thensaurarios
Pers. 25 *sagittá* Cupido cor meum transfixit. ‖ iam serui hic amant
Trin. 725 égomet autem quom extemplo arcum [mihi] et pharetram et *sagittas* sumpsero

Duce Müllero plerique editores *mihi* delent.

Sed ex his Trin. 725 uix quidquam probat, cum uersus talis qualis in libris traditus est iusto longior sit. Quod uitium ut sanaretur, Müller *mihi* deleuit, sed eodem iure *autem*, quod sane superuacaneum est, tolli posse Eschio [2]) adsentior, quo facto ictus *sagíttas* restituitur. Tum in Pers. 25 correptionem eam ob causam defendere licet, quod hoc uocabulum in primo pede collocatum est, quae excusatio etiam in altero uersu, de quo iam agam, haud scio an necessario adhibenda est. Superest Aul. 395, quo in uersu — id quod in »Proceleusmatici» p. 53 iam dubitans feci — imperatiuum *config*e per apocopen pronuntiare malo. Haec enim apocope imperatiuorum, quantum e metris concludere licet, in Poen. 1237 *ite*, Ps. 239 *mitte*, St. 768 *redde* inuenitur. Quamobrem pro forma ualde dubia alteram certe tolerabilem usurpare non dubitauerim.

Denique ea uocabula mihi adferenda sunt, in quibus causa correptionis inde est petenda, quod accentus ob encliticam sequentem ex ea syllaba transmotus est, quae, si enclitica non sequeretur, accentum ferret. Sed enclitica cum suis uocabulis tam arte coniuncta est, ut unum uocabulum exsistat. Qua re fit, ut utrumque uocabulum uno accentu feriatur, qui accentus e lege, quae ad polysyllaba

[1]) Cfr. »Archiv f. lat. Lexikogr.» V, p. 456; Körting, »Lat.-rom. Wörterbuch» (ed. II), p. 760.

[2]) »Correptio», p. 45.

pertinet, in ultimam prioris uocabuli cadit. Cumque hanc ob causam accentus paenultimae prioris uocabuli amissus sit, recte haec paenultima corripitur [1]). Vocabula haec sunt:

dolŏrés	St. 165	uterí dolores mihi oboriuntur cotidie
dedĭstín	Trin. 127	dedistín argentum? ‖ factum neque facti piget
	» 129	dedistíne hoc facto ei gladium qui se occideret
molĕstaé	Mil. 69	molestaé sunt: orant, ambiunt, exobsecrant

uolŭptás enclitica *mea* adfixa in fine uersus octies occurrit: Mil. 1345, Most. 249, 294, Rud. 444, Truc. 426, 540, 546, 860. Item *uoluptás tua* Cas. 454.

Postquam haec seclusi uocabula, quorum correptio ideo quod syllaba correpta accentu carebat legitima erat, restat ut de ceteris disputem, quae legi resistunt. Atque primum pauca, quorum ultima ictu percutitur, tractabo. Haec certa in iambis et trochaeis inueniuntur:

ducĕntós	Ba. 272	ducentós et mille Philippum. ‖ tantum debuit
harŭspéx	Poen. 1206	quódque haruspex de ambabus dixit — ‖ uelim de me aliquid dixerit
ualĕtó	Merc. 327	bene ámbulato. ‖ bene ualeto. ‖ bene sit tibi
quiĕtús	Most. 1174	pétere: ego illum uerberibus, ut sit quietus, subegero [2])

In primo horum uersuum uerba transponere solent, ut »mille et ducentos« scribant, quam traiectionem ea re defendunt, quod hunc ordinem u. 230 habet. Neque credibile esse existimant Plautum, qui certum ordinem uerborum adhibere amaret, hanc eandem rem, quae est in uersibus tam finitimis, duobus modis expressisse; quare, cum ceteris locis

[1]) Cfr. Skutsch, »Jambenkürzung«, p. 132 et Klotz, »Metrik«, p. 92.
[2]) In Poen. 1169 *opino* pro *opinor*, ut saepe, scribendum est.

ducénti acuisset, melius esse etiam h. l. eundem ictum statuere. Verum quidem est Plautum semper hoc uno loco excepto *ducénti* acuisse [1]). Sed alia res dubitationes commouere potest ordinis uerborum mutandi. Si enim uersus 230 et 272 comparamus, in u 230 acc. plur. *Philippos*, in u. 272 gen. plur. *Philippum* in libris inesse uidemus. Quae res, cum constet Plautum post *mille* gen. part. (Trin. 954—55, 959, 965, 1158) usum esse et *ducenti, trecenti, quadringenti* attributiuo loco posuisse, a uerbo numerali praecedenti pendere uidetur, ut casui tribui uix possit, quod in altero uersu »mille et ducentos Philipp*os*«, in altero »ducentos et mille Philipp*um*« traditum est. Accedit, quod difficilius est explicatu librarium, si »mille et ducentos« scriptum inuenerit, hoc in illud mutare potuisse. Sed licet haec argumenta uim aliquam habeant, ea fortasse non tam firma sunt ut accentum ualde insolitum correptionemque singularem tueantur. Et obseruandum est nullum alium locum duo talia uerba numeralia coniuncta habere. Itaque uix uituperandus est, qui ordine, quem u. 230 habet, restituto correptionem tollat. Sed si quis ordinem librorum seruare uelit, ut correptio syllabae acutae accipiatur, eam primi pedis liberiori structurae uindicare debet. Cum enim hic pes mensuras in ceteris pedibus inusitatas *mílitis, sequimínei* patiatur, fieri potest, ut *ducĕntós* quoque toleretur. Quod si uerum est, ictum accentus uim occupantem correptionem effecisse sumendum est. (Cfr. supra p. 25!)

Quod si in hoc uersu correptio toleranda est uel ob certam causam excusatur, hoc in *harŭspéx* (Poen. 1206), *ualĕtó* (Merc. 327), *quiĕtús* (Most. 1174) prorsus non fit. Neque enim quidquam est, quod has correptiones defendat. Et facillime correptiones tolli possunt. In Most. 1174 credo

[1]) Exempla sunt: As. 276 — Ba. 230, 590, 706, 709, 868, 879, 882, 919, 969, 997, 1026, 1050 — Poen. 732 — Ps. 302; item *trecénti:* Poen. 166, 415, 558, 670, 771.

Acidalium uerba recte traiecisse scribentem: pétere: ego illum, ut sit quietus, uerberibus subegero. Etiam facilior est sanatio alterius uersus, in quo *que* delendum est. Namque in relatiuis enuntiatis, quae eadem ratione ad correlatum referuntur, coniungendis copulatiuas particulas non minus raro omitti quam adhiberi, exempla documento sunt, quae collecta uideas apud H. Sjögren, »De particulis copulatiuis apud Plautum et Terentium», p. 116 sqq. Quae cum ita sint, cum Bothio, Ussingio, Klotzio, ed. mai. *que* potius deleo quam ut cum libris seruem.

Alia res est in *anapaestis*, in quibus hanc correptionem licitam esse docent *amŏrém* (Cas. 217), *talĕntúm* (Mil. 1061), *tabĕllás* (Pers. 497), *potĕstás* (Trin. 822, secundum Leonem).

Nunc ad trisyllaba transgredior, quorum antepaenultima ictu percutitur. In his, si fides habenda est libris, media syllaba multo saepius corripitur[1]). Multas harum correptionum editores aliique, qui rebus plautinis operam dederunt, emendarunt, alias, quas non sine difficultatibus sanare poterant, nota signauerunt, paucas tolerarunt. Et ego quidem, qui syllabam acutam corripi non posse mihi persuasi, hac in re eos libentissime sequor. Sed ex multis exemplis huius correptionis, quae adferuntur, pauca, cum aliam mensuram admittant, deleo, quae nunc adferam:

Amph. 391 dícito, siquid uis, non *nocebo*. || tuae fidei credo? || meae

Sic libri, editores autem *dic* scribunt; sed totus uersus seruari potest, si sic scanditur:

dícitŏ, síquid uis, nón nocébo —

De *dicitŏ* uide infra p. 40, de *sīquis* in »Proceleusmatici» p. 79 sq. egi, ubi ad cetera ex. etiam hoc addendum est.

Mil. 1193 prórsum Athenas protinus *abibo* técum. || atque ubi illo ueneris

[1]) Exempla apud Eschium, »Correptio», p. 31 sq. et 69 sq., ubi tamen multa falso sunt adlata.

Ut correptio uerbi *abibo* deleatur, *protinam* uulgo scribunt. Quamquam hanc emendationem facillimam esse concedo, tamen non opus est quidquam mutare, si in »protinus abibo» synaloephe adhibetur.

St. 97 quem aéquiúst nos potiorem *habere* quam te? postidea, pater

Falsa correptio uerbi *habere* deletur, si correptio licita in *aequiŭst* accipitur, de qua uide p. 41.

Ba. 480 mánus ferát ad *papillas*, labra a labris nusquam auferat

In hoc uersu correptio non adest, quia in primo pede proceleusmaticus trochaicus est statuendus. Alia ex. in »Proceleusmatici» II, p. 13 collegi, ad quae hoc addendum est.

Rud. 1212 éum rogáto ut *relinquat* alias res et huc ueniat. || licet

De hoc uersu uideas p. 20. — De Rud. 922 uide p. 44.

Tum paucos uersus me iure secludere puto, qui, cum lectio librorum sit incerta, nihil probant.

Cpt. 375 ut égo ad parentes meos hunc *remittam* nuntium

Sic *B*, sed in cet. libris *meos* omissum est.

Ep. 592 Épidicus mihi *magister* fuit. || perii, plaustrum perculi

Sic *P*; sed iam Bothe uerba recte traiecit scribens: *Epidicus mihi fuit magister*, qui ordo in *A* fuisse uidetur; cfr. adn. crit. Leonis.

Pers. 734 bona múlta feci. || fateor, *habebo* gratiam

A multa effeci fateor habẹbo, *B* fateor habeo, *reliqui libri* habere. — Apparet *habeo* scribendum esse, quod unum ad sententiam quadrat.

St. 507 *rédisse* uideo bene gesta re ambos, te et fratrem tuom

Sic *P*, sed *A* recte habet: rediisse

Truc. 817 tácui, at non nunc *tacebo*, quando adest nec se indicat

Quomodo finis uersus restituatur, nostrae rei non interest. Initium uersus sic traditum est: *B* tacui ad nunc nunc, *CD* tacui (spatium) at nunc nunc; quare credo Seyffertum uersum sic recte restituisse:

tácui adhuc, nunc non tacébo — —

Ad hos uersus etiam addo:

Ba. 687 ístoc dicto *dedisti* | hodie | in cruciatum Chrysalum

Praeter falsam correptionem duo hiatus ostendunt uersum corruptum esse.

His uersibus exclusis, ceteros, in quibus trisyllaba correpta inueniuntur, adferam.

In senariis:

Aul. 482 et inuídia *minore* nos utamur quam utimur

Pylades uerba transposuit: *nos minore*, quod omnes probarunt.

Ba. 146 immó neque habebis neque sinam: *iturus* sum domum

Ed. mai. *i cursim*, Leo *i prorsum*, alii aliter scribant.

Cpt. 698 quid sít hoc *negoti:* meus sodalis Philocrates

Cum Bothio omnes *quid hoc sit* transponunt.

Cas. 455 ecfódere hercle hic uolt, credo, *uesicam* uilico

Sic libri, nisi quod *E uillco* habet. In ed. mai. uerba duce Bothio sic traiecta sunt: credo hércle, ecfodere hic uolt u. u. In ed. min. et apud Leonem uersus signo crucis notatus est.

Most. 501 decéptus sum: hospes hic me *necauit*, isque me

Ed. mai. *me*, Leo *hic* deleuit, in ed. min. ante *hic* crux posita est. Ipse in »Proceleusmatici« p. 52 formam *necuit* proposui, quam formam uideo ante me Bentleyum commendasse.

Etiamnunc credo uersum hac perfecti forma accepta optime emendari. Haec forma *necui* non modo apud Phaedrum IV, 19, 4 concludi potest sed etiam in uersu quodam Enniano et duobus aliis locis inuenitur, quos locos apud Neue[3], III, p. 374 uideas.

Truc. 687 sequere íntro me, *amabo*, mea uoluptas. || tene hoc tibi

Bothe *me* deleuit.

Merc. 737 immó sic *sequestro* mihi datast. || intellego

Sequĕstro damnandum esse certum habeo, sed quomodo uersus sanetur, non facile est dicere; Ritschl pro *sic* scripsit *haec*.

In iamb. septen.:

As. 433 resóluit? || *resoluit.* || quoi datumst? || Sticho uicario ipsi

Facillima et pulcherrima est emendatio Turnebi: rem soluit? soluit —

Most. 217 dum tíbi nunc haec aetatulast, in *senecta* male querere

Versus in editionibus seruatus est eam ob rem, credo, quod etiam aliis locis correptio huius subst. inest. Sed cum his locis uocabulum elisum sit et correptio propter hanc causam defendatur, hoc in uersu correptionem non admitto. Fortasse *est* copula post *tibi* collocanda est.

In iamb. octon.:

Ps. 170 i, púere, prae: ne quispiam pertundat *cruminam* cautiost

Leo *quisquam* scribit, quod in *P* fuisse uidetur.

In troch. septen.:

a. Primi et quinti pedum uocabulum correptum est.

Amph. 761 *dédisse* dono hodie, qua te illi donatum esse dixeras?
Omnes editores uersum intactum reliquerunt.

As. 372 móx quom Sauream | imitabor, *caueto* ne suscenseas
Bentley *caue tu* scripsit, quae mutatio per se quidem facillima est. In ed. mai. *imitabor* ante *Sauream* est collocatum.

Cpt. 321 né patri, tametsi unicús sum, *decere* uideatur magis
Si uersus retinetur, sic scandendus est, quia *únicus súm* mensura non toleratur.

Cpt. 431 átque horunc uerborum causa *caueto* mi iratus fuas
Cfr. supra As. 372.

Curc. 345 *dédisti* tu argentum? inquam | immo | apud trapezitam situmst
Quidquid de hiatu sentimus, e priore parte uersus remedium est exclusum.

Truc. 504 *uénire* saluom — ‖ scio: sed peperitne, opsecro, Phronesium
In uersu emendando alii aliud tentauerunt.

Mil. 290 *prófecto* uidi. ‖ tutin? ‖ egomet, duobus hisce oculis meis

b. Ceterorum pedum est uocabulum correptum.

Curc. 595 peíor quam haec est: quae ubi me[d] hunc *habere* conspicatast anulum
Pylades uerba *quam haec est* deleuit, quem sequuntur ed. mai. et min. Leo duce Taubmanno traiecit: ubi me habere hunc —

Merc. 841 íbi quidem si regnum detur, non est *cupita* ciuitas
CD cupita, *B* cupida. Recte Weise *cupitast* scribit.

Merc. 988 iam óbsecro hercle uobis *habete* cum porcis, cum fiscina
In ed. mai. et min. uerba traiecta sunt: *habete uobis*, Leo monosyllabum *uobis* accipere uidetur (uide adn. crit.).

Poen. 875 quíd iam? ‖ quasi tu *tacere* uero quicquam potis sis. ‖ rectius
Alius aliud coniecit; sed ex multis coniecturis nulla certa mihi uidetur, quamobrem uersum corruptum relinquo.

Curc. 572 míhi si perges *molestus* esse. ‖ leno minitatur mihi
Pronomen *mihi* ed. mai. et min. cum Müllero secluserunt, Leo uersum seruat.

Most. 283 nón me curare istuc *oportet.* ‖ quem obsecro igitur? ‖ eloquar
Omnes cum Guyeto traiciunt: non me istuc curare —

» 1169 Tránioni *remitte,* quaeso, hanc noxiam causa mea
Remitte non retinendum est, uulgo *amitte* substituunt.

Pers. 213 fáteor ergo *profecto* me esse, ut decet lenonis familiae
Ergo sententiae prorsus non conuenit; recte Camerarius omnesque editores *ego* restituunt.

Rud. 714 sí eas *oportet* esse niue eas esse oportet liberas
Recte *esse oportet* scribitur, quam traiectionem uerborum etiam acceperunt in

» 736 númqui minus hasce *oportet* esse liberas? ‖ quid liberas?

St. 692 sát est: seruo homini *modeste* melius facere sumptum quam ampliter
Nonius *melius* omisit. Fortasse cum Ritschelio *modice* scribendum.

St. 723 áge, tibicen, quando *bibisti*, refer ad labeas tibias

Non recte uerbum correptum ab editoribus retinetur. *quom bibisti* puto esse legendum.

In troch. oct.:

Ps. 201 íd tibi *profecto* taurus fiet. ‖ nimis sermone huius ira incendor

Verba credo sic traicienda esse: id tibi fiet profecto taurus —

Cum haec omnia exempla correptionis repperimus, dubitatio facile exsistit, correptione admissa sit. Et uideo in paucis horum uocabulorum correptionem ab editoribus acceptam esse *(dedisse, dedisti, profecto, molestus)*, cum in ceteris eam deleuerint; quam rationem ea re stabilire uidentur, quod in his paucis correptio bis terue occurrit, in ceteris autem semel. Sed si hanc rationem probamus, apparet nos certa norma plane egere, namque hac re non probatur correptionem in his uocabulis esse licitam, in illis non. Vereor igitur, ne in hac re non recte fecerint. Tum melius mihi uidetur aut omnes correptiones probare et constituere, ut in trisyllabis correptio acutae syllabae toleretur, aut omnes damnare, ut in his uocabulis eadem lex ualeat atque in ceteris. Quod si haec optio mihi data est, dubium non potest esse, quin correptionem deleam, praesertim cum numeros formarum correptarum et non correptarum comparem. Et hac causa omnes eas correptiones, quae in uersibus iambicis sunt, atque eas omnes, quae in aliis pedibus sunt atque in primo et quinto pedibus septen. troch., deleo. Sed his duobus locis correptionem tolerabilem habeo, quia eos in aliis huiusmodi rebus licentias habere uideo.

Neque causa adest, cur in *anapaestis* haec correptio uetetur; sed ut eam, si ultima ictu percussa est, inuenimus, sic etiam eam antepaenultima percussa seruandam esse existimo locis his: Cas. 238 dédisti, Poen. 1189 águndis, Ps. 180 mámilla⟨e⟩. Dubium exemplum est Trin. 831 módesti.

B. Syllabae iambi correpti mediis syllabis continentur.

Vocabula pauca, quae huc pertinent, in his inueniuntur uersibus:

In senariis:

Ci. 297 *praestigiătór* es, siquidem hic non es atque ades

Ep. 418 quae hic *ádminĭstráret* ad rem diuinam tibi

» 520 me impúne irrisum esse, habitum *dépecŭlátui*

Hic uersus et duo qui praecedunt in *A* desunt.

In iamb. octon.:

Ci. 455 ⏑⏑ íta sunt, at nunc non potest. ‖ supplicium *póllicĕrí* uolo

Primum uerbum non satis perspicitur.

Most. 143 is úsque in pectus permanauit, *pérmadĕfécit* cor meum

In troch. septen.: [1])

St. 63 quom égo reuortar, uos monimentis *cómmonĕfáciam* bubulis

» 85 pérplexabiliter earum hodie *pérpauĕfáciam* pectora

» 390 uídistin uirum sororis *Pámphilĭppúm?* ‖ non. ‖ non adest?

Sic ed. min.; ed. mai.: *Pamphilippum?* ‖ *non adest*, ordine uersuum mutato; Leo: *Pamphilum?* ‖ *non.* ‖ *non adest.* Libri haec praebent: *A Pamphilum.* ‖ *non.* ‖ *non adest, P Pamphilippum* ‖ *non* ‖ *adest.* — Nomen »Pamphilus», quod *A* habet, falsum esse uel inde intellegitur, quod ceteris locis eidem personae nomen »Pamphilippus» datum

[1]) Mil. 1180 omisi, cum non »éxpapĭlláto», sed »exfáfillato» legendum esse Bücheler ostendit (»Vmbrica», p. 132).

est (uide u. 527, 582, 583, 596). Et apparet, cum in *A* personarum mutationem bis in uersu fieri certe tradatur idemque in *P* significari uideatur, finem uersus non aliter constituendum esse nisi hoc modo: *non* || *non adest?* Si igitur lectiones librorum componimus, uersum talem qualis in ed. min. scriptus est, habemus. Tum uero in »Pamphilippum» paenultima corripiatur necesse est. Neque ego hanc correptionem, quamquam ceteris locis non inuenitur, damnem, cum analogia nominis simplicis correptio explicari possit. Sed suspicionem retinere non possum Plautum aliter scripsisse, quam suspicionem lectio libri *A* mihi iniecit: »Pamphilum». Nomina sororum libri alia alii tradiderunt, cum ante primam scaenam has mulieres colloquentes faciant: *A Philumena Pamphila, BD Panegyris Pinacium.* Sed *Pinacium* nomen esse pueri *A* et *B* docent, unde sequitur, ut idem nomen alteri sorori tribui non possit. Sin autem librum *A* sequimur, haec soror nomine *Pamphila* appellanda est. Cuius nominis uestigium in hoc uersu esse putauerim, cum Plautus neque *Pamphilum* neque *Pamphilippum* sed *Pamphilam* scripsisse mihi uideatur. Praeterea de hac re uniuersa uideas quae in praefatione huius fabulae in ed. mai. a Goetzio sunt disputata.

De ipsa correptione horum uocabulorum, quae attuli, non opus est multa dicere, cum accentus et ictus inter se conueniant. Quod etiam in Ci. 297 *praestigiatór es* et Ci. 455 *pólliceri uolo* ualere Skutsch probauit [1], qui propter encliticas *es* et *uolo* accentum paenultimae polysyllaborum in ultimam tractum esse docuit.

[1] »Jambenkürzung», p. 132. — Vbi enclitica non sequitur, *praestigiátor* percutitur: Amph. 782, 830, Aul. 630, Poen. 1125, Truc. 134.

In hoc numero uocabulorum, quorum mediae syllabae correptae sunt, formas tertiae personae perfecti actiui in *-erunt* exeuntis non collocaui, cum in his *ĕ* breue non ex *ē* correptum sed primarium esse credere liceat. Itaque Ba. 668 *éxcidĕrúnt*, Poen. 21 (prol.) *dórmiĕrúnt* exclusi. De his formis cfr. Lindsay, p. 611; Stoltz^{3}, p. 179; Neue^{3}, p. 198 sqq.; Leo, ann. crit. ad Ba. 668.

Quoniam igitur etiam in his uocabulis syllaba correpta accentu caret, synizesin non correptionem existimo adhibendam esse in *perduellis:* Amph. 250, (Amph. 644 metr. inc.), Ci. 201, Mil. 222, Ps. 589.

In *anapaestis* hanc condicionem correptionis non postulari. duobus exemplis syllabae acutae correptae efficitur: Aul. 723 *perdítĭssimus,* Poen. 1182 *praépotĕntés.* In Ps. 583 *pérduellís* de pronuntiatione dubitare licet, sed synizesin anteponendam esse puto.

C. Syllabae iambi correpti duabus ultimis syllabis continentur.

Inter omnes constat longam ultimam, quam breuis syllaba antecedat, in anapaestis corripi. Sed haecne correptio etiam ad iambos et trochaeos pertineret, in diuersam partem disputatum est. Quae quaestio ut soluatur, necesse est prius altera explicetur, dactylumne Plautus in his metris admiserit uel quibus finibus usum dactylorum circumscripserit. Si enim dactylus certis locis probatur, Plautum creticum quoque pro dactylo usurpare potuisse haud est negandum, si quidem hoc tenemus, quod omnes syllabae, quae accentu carent, corripi possunt.

Sed priusquam hanc rem adgrediar, unum uerbum commemorare debeo, in quo omnes post Luchsium nunc correptionem accipiunt: dico uerbum *nescio.* Ostendit enim Luchs in hoc uerbo ultimam corripi, si post ipsum uerbum

pronomen interrogat. *quis* sequitur [1]). Et causa correptionis perspicua est: *quis* encliticae uice fungitur, ut haec duo uerba in unum coaluerint, quo facto media syllaba *o*, cum accentu careret, corripiebatur. In hoc quadrisyllabo *nesciŏquis*, quod sub *B* collocare potui, aut prima syllaba simul cum ultima *néscioquís* aut rarius antepaenultima *nescíoquis* feritur. Cum exempla utriusque generis a Luchsio l. l. composita sint, ea denuo enumerare supersedeo. Id animaduerto, bis apud Plautum *pol* inter *nescio* et *quis* insertum esse eodem accentu uerbi *nescio* seruato ac si *quis* subsequeretur, qua de re uide Luchsium l. l. p. 273. Exempla quae in primo pede uersus iambici locum habent, sunt:

Aul. 71 nescío pol quae illunc hominem intemperiae tenent
Ep. 61 nescío pol quid tu timidu's: trepidas, Epidice: ita uoltum tuom

Sic libri praeterquam quod *edepol* habent; sed *ede* recte a Luchsio deletum est, ut uersus similiter ac sequentes iamb. septen. fiat. Pro lectione librorum *uoltum tuom* scribendum puto: *uoltus tuost*, ut enuntiato *ita uoltus tuost* causa sententiae praecedentis exprimatur, quod in his enuntiatis ab *ita* incipientibus saepe fit. Vide Langenum, »Beiträge», p. 231 sqq.

Nunc uero cum ad rem propositam transgredior, id primum animaduerto, omnia genera iamborum et trochaeorum non eodem modo tractanda esse. Nam Leoni adsentior contendenti aliquid interesse inter metra uulgaria diuerbiorum et metra iambica et trochaica, quae in canticis tantummodo sint [2]). Haec enim metra liberius aedificata sunt, quare necesse non est easdem leges metricas et prosodiacas in iis ualere. Adde, quod in canticis metrica structura saepe tam dubia est, ut non facile dicatur, quod metrum

---

[1]) »Hermes», VI, p. 264 sqq.
[2]) »Forschungen», p. 242.

constituendum sit. Iure igitur credo me hos uersus canticorum ab ceteris secludere.

Quod si ad iambos et trochaeos diuerbiorum nos conuertimus, prius nobis exquirendum est, num Plautus in his metris dactylum usurparit. Primum igitur *trochaeos* recensebo. Omnes credo nunc in eo consentire *primum* pedem hunc dactylum tolerare. Vndecim certa ex. huius usus adferri possunt: Aul. 781 nóscere fíliam, Ba. 981 óptumus súm, Men. 386 áccipe dum hóc, Merc. 995 Éutyche, té⟨d⟩, Mil. 1148 ómnia dát, Most. 842 látius démumst, Poen. 834 ómnia génera, 905 ómnia mémoras, St. 336 ómnia mémbra, 684 ómnibus módis, Truc. 262 cómprime, sís. Accedit unum ex., ubi uocabulum dactylicum in *us* desinens ante uocabulum a uocali incipiens collocatum est, ut secundum Leonem synaloephe accipi possit: St. 114 ómnibus ós. Sed Mil. 799 b aúribus útor (sic Leo, *A* habere uidetur: auriṣ uṭ; reliquum uersus deest) et Most. 131 eátenus ábeunt (sententia uersus non explicata est) incertiores sunt quam ut aliquid probent. Item plerique sumunt dactylum in *quinto* pede tolerabilem esse, sed Leo hoc dubium existimat, quod plurima ex., quae huc pertinent, e uocabulis constent, quae in *s* exeant praeeunte breui uocali quaeque ante uocalem locum habeant. Verum quidem est omnia uocabula dactylica huius generis esse: Ci. 777 ámplius. ‖ étenim, Mil. 721 ébrius aút, Pers. 14 Tóxilus hícquidem, Trin. 1127 aédibus, apsque, Vid. 58 aédibus húc. Sed cum duo certa ex. inueniantur, ubi quintus pes e uocabulo trochaico et priore syllaba uocis sequentis constat: Ep. 573 férre iubés, Mil. 1370 esse fidélem, uix iure negari potest quintum pedem eadem licentia praeditum esse atque primum. Sed in intimo uersu dactylum adhiberi recte uetant. Et pauca exempla, quae in libris traduntur, sane suspecta sunt.

Ba. 101 béne me | *accipis* aduenientem, mea soror. ‖ quid ita, obsecro

Omnes Bentleyum secuti *accipies* scribunt.

quod etiam ad sensum huius loci magis quadrat. Ceterum h. l. dactylum per synaloephen tolli obseruandum est.

Cpt. 321 né patri, tametsi *únicus* sum, decere uideatur magis

Vide p. 32.

Curc. 701 ánimum ad*uórtite*, si possum | hoc inter uos componere

Vulgo post *aduortite* uocabulum inserunt: Fleckeisen et Leo *ego*, ed. mai. *huc*, ed. min. *hoc*, qua re etiam hiatus tollitur. Birt, qui tales hiatus diligenter collegit, ut uim consonae spirantis *h* uindicaret, hunc uersum mirum in modum omisit.

Men. 175 índe usque ad diurnam stellam crastinam po*tabimus*. ‖ Eu

P potabimus, *A* potaumus (Leo), poterimus (Loewe). Si *potabimus* seruamus, dactylus per synaloephe tollitur.

Rud. 1130 éstne hic *uidulus* ubi cistellam tuam inesse aiebas? ‖ is est

De hoc uersu uide Leonem, »Forschungen», p. 239. qui synaloephen adhibendam esse ostendit; de uersibus 1106 et 1127 uide infra.

Sententia igitur Seyfferti et Skutschii, nisi fallor, etiamnunc seruanda est, dactylum et in primo et in quinto pede licitum esse sed ex intimo uersu exclusum. Et reuera in his pedibus pauci uersus creticum pro dactylo praebent:

Amph. 391 *dícitŏ*, siquid uis: non nocebo. ‖ tuae fidei credo? ‖ meae

Omnes Lindemannum secuti *dic* scribunt.

Cpt. 558 *Hégiŏ:* fit quod tibi ego dixi, gliscit rabies: caue tibi

B fit, *E* sit, *F* sic; ed. mai. *id* pro *fit* scribit, ed. min. *ego* delet, Leo *tibi* monosyllabe pronuntiatum uult (»Hermes», XVIII, p. 585), quod mihi non persuasit.

St. 97 quem *aéquiŭst* nos potiorem habere quam te? postideor, pater

Vide supra p. 29.

» 526 *ómnium* me exilem atque inanem fecit aegritudinem

Omnes editores uersum intactum seruarunt. Tamen de *ŏmnis* correptione non est cogitandum.

Trin. 933 *ómnium* primum in Pontum aduecti ad Arabiam terram sumus

Libri: aduectia arabiam; *ad* restituit Camerarius, quod a Leone et in ed. mai. receptum est. In ed. min. praepositio omittitur, ut dactylus tollatur.

» 1156 *fíliam* meam tibi desponsatam esse audio. ‖ nisi tu neuis

B desponsam, *ceteri cum Nonio* desponsatam; »desponsam» editores receperunt.

Ba. 411 eí mihi, ei mihi, istaec illum *pérdidĭt* assentatio

Bentleyo duce ed. min. praesens *perdit* habet; Leo. qui dactylum h. l. repudiat, ne praesens quidem probat, quare in adn. crit. scribit: fortasse »assentatio istaec illum perdidit». Aliter in ed. mai. uerba traiecta sunt: pérdidít illum istaec adsentatio.

Exempla huius correptionis non multa esse concedo, neque tamen eam ob causam ea damno. Namque commoneo, cum exempla dactyli puri haud ita multa sint, plures creticos correptos non esse exspectandos. Tum ipsis exemplis correptionem a Plauto usurpatam esse euincitur. Si enim St. 526 *ómnium me éxilem,* in quo uersu neque ob discrepantias quasdam librorum neque ob aliud mendum quidquam offensionis inest, cum St. 336 *ómnia mémbra* comparamus, id nobis statim elucet Plautum in eo loco uersus, ubi *omnia* admitteret, etiam *omnium* correptum tolerasse. Sed si uno loco uocabulum creticum correptum admisi-

mus, fieri non potest, quin etiam aliis locis iisdem condicionibus adstrictis id toleremus. Itaque nihil obstare uideo, quin creticus correptus locis supra adlatis, si libri hoc suadent, recipiatur. Haec causa est, cur in Cpt. 558 *Hegiŏ* et St. 97 *aequiŭst* seruem. Nam neque quare in priore uersu *ego* offendat aut quare initium huius uersus retineri non possit — quod Leo contendit [1] — perspicio, neque causam adlatam esse inuenio, cur in St. 97 *aequiust*, quod in omnibus libris traditum optimam praebet sententiam, corruptum habeatur. In Amph. 391 neque *dicitŏ* neque, quod tum constituendum est, *sĭquid* correptum ansam mihi praebet *dic* formae constituendae. Tamen cum Plautus *siquíd uis* sollenniter acuisse uideatur, causam non deesse concedo imperatiui *dic* recipiendi [2]. In duobus reliquis uersibus Trin. 933 et 1156 formae correptae incertiores sunt, non quo ipsa correptio non iusta sit, sed quia lectio librorum non satis constat. Cum enim Plautus in uerbis mouendi accusatiuo et solo et a praepositionibus recto utatur, non certo diiudicatur, utrum in uerbis codicum »aduectia arabiam» *a* dittographia tantummodo sit an *ad* praepositionem, ut *d* consona culpa librariorum omissa sit, significet. Et in Trin. 1156 forma breuior »desponsam», quae est in libro *B*, alteri longiori »desponsatam» librorum *CD* fortasse est anteferenda, quia hi idem libri etiam in Mil. 1007, ubi non potest defendi, hanc formam habent. Neque tamen obliuiscendum est, hoc quo de agitur loco Nonium formam longiorem testari. Denique de Ba. 411 *perdidĭt*, quod unum in quinto pede inest, uerba mihi sunt facienda. Si in perfecto *ĭt* longum sumimus, quod uerisimile mihi uidetur, creticum correptum non offendere contenderim. Namque licet hic locus unicus sit, Plautum in quinto pede rarius quam in primo eam licentiam, de qua loquimur, usurpasse obser-

[1]) »Forschungen», p. 243, adn. 2.

[2]) Cfr. tamen Aul. 161 síquid uís

uandum est. Vt ego perfecti temporis opus esse cum Leone facio, ita mihi non necessarium uidetur uerba traicere.

Si ceteros pedes uersuum trochaicorum recognoscimus, etiam in iis paucos locos reperimus, in quibus haec correptio libris auctoribus postulatur. Sed quoniam in his pedibus dactylus non est tolerabilis, creticus quoque abesse debet. Quod ut fieret, uiri docti in aliis uersibus alia medicamenta requisierunt. Hi loci sex sunt [1]):

Ci. 524 nísi ego teque tuamque *filiăm* meque hodie obtruncauero

Quoniam non sine detrimento uersus quidquam mutatur — quod in ed. mai. *aeque* pro *meque* scribitur, uim sensus ualde debilitat — *filiam* synizesi pronuntio.

Ci. 531 séd tamen ibo et *persequăr:* amens nequid faciat, cauto opust

Duo uersus Schoell constituit, alteri uersui uerba, quae post »persequar» sequuntur, tribuens. Leo uerba ita transponere uult:

sed tamen amens ne quid faciat cauto opust. ibo et persequar,

quod »uersus sic fiat et sententiarum constructio concinnior». Sed, nisi fallor, tali remedio non opus est; sic enim uersum scandere licet:

séd tamen ibo et pérsequár: aména nĕquid faciat c. o.,

ut in hoc uersu nouum exemplum »nĕquid» correpti habeamus [2]).

Curc. 189 étiam disper*tímini*? ‖ nullist homini perpetuom bonum

Versus facillime sanatur, si *est* copula post aliud uocabulum, aut »homini» aut »bonum» adfigitur.

[1]) Trin. 308 *perpulit* omisi, quia in *A pepulit* recte traditum est.

[2]) Alia ex. in »Proceleusmatici», p. 80 collegi.

Rud. 1106 quíd id ad *uidulum* pertinet, seruae sint istae an liberae?

» 1127 cédo modo mihi istum *uidulum*, Gripe. || concedam tibi

Si »uid(u)lum» syncopatum, quod Leo haud uerisimile putat [1]), non accipimus, remedium aliunde nobis petendum est. In priore uersu Leo, quem »pertinet» offendit, hoc excluso post »an» inseruit »fuerint». Item in ed. mai. »pertinet» deletum est, pro quo »istum» substituitur. In altero uersu et ed. mai. et Leo traiectionem uerborum Pyladis »uidulum istum» receperunt, quod mihi nunc magis placet quam, ut in »Proceleusmatici», p. 20 feci, »uidulum» post »Gripe» in quinto pede collocare.

Truc. 810 mágis pol haec malitia *pertinet* ad uiros quam ad mulieres

Sed haec scansio non est necessaria; licet enim cum Leone uersum hoc modo dimetiri:

— — — — pértinét ad uíros quam a. m.

Itaque traiectiones ab aliis factae superuacaneae sunt.

Contra ex trochaeis is creticus correptus, cuius media syllaba ictu percutitur, exclusus est, cum dactylus huiusmodi absit. In Ps. 1269, qui uersus in ed. mai. et min. trochaicus octonarius est, *hostíbus fugatis* scandendum est, quae scansio ideo fortasse defendi potest, quod hic uersus in cantico locum habet. Sed melius credo esse cum Leone [2]) tres trochaicos dimetros catalecticos formare. Neque minus suspectus uidetur creticus correptus, qui in Rud. 922 in iisdem editionibus legitur:

nón enim illum exspectare oportet, dum erus se ad suom *suscitet* officium

[1]) »Forschungen», p. 239.

[2]) Rhein. Mus. XL, p. 177.

Quoniam uersus antecedens anapaesticus est, hunc quoque uersum Leonem secutus anapaestice libentius dimetior:

non énim illum exspectare oportet, dúm erus se ád suom súscitet officium,

namque in anapaestis neque *ópŏrtet* neque *suscitet* uetita sunt. Sed quocumque modo haec res se habet, fieri non potest, ut in trochaeis diuerbiorum talis dactylus aut creticus correptus toleretur. Quam ob rem quattuor exempla, quae adferri possunt, damnare non dubito.

Men. 405 iám amabó, *desíne* ludos facere atque i | hac mecum simul

Fleckeisen *desiste* recte restituit.

Pers. 226 úbi illa *altérast* furtifica laeua? || domi eccam: huc nullum attuli

Per syncopen *altrast* pronuntiandum est.

Ps. 706 ín libello hoc opsignato ad te hoc *attúlĭ* pauxillulo

A abs te hoc, *P* ad te. Lectio, quam *P* habet, recipienda est.

Sequitur, ut etiam in

Rud. 1106 quíd id ad uídulúm *pertínĕt*, seruae sint istae an liberae

non liceat scandere. Cfr. supra p. 44

In *iambis* Klotz ostendit dactylos, quorum media syllaba ictu percutitur, a Plauto raro usurpari, siquidem in primo pede uersus iambici uel in quinto septenariorum et octonariorum sunt [1]). Quae cum ita sint, exspectare licet etiam paucos creticos correptos his locis inueniri, quod etiam exemplis probatur. In senariis unum certum ex. repperi:

Poen. 1348 *nemínĕm* uenire qui istas adsereret manu

Nam in Cpt. 8 (prol.) *altérum*, quamquam tolerari potest, tamen per syncopen *altrum* pronuntiari uerisimile est. Cfr. Pers. 226. In septenariis et octonariis septem exempla

[1]) »Metrik», p. 61 sqq., 274 sq.

adnotaui, e quibus tria primi pedis, quattuor quinti pedis sunt:

Cpt. 833 *perlúbĕt* hunc hominem conloqui: Ergasile. ‖ Ergasilum qui uocat?

Cas. 931 *decídŏ* de lecto praecipes: *subsĭlit*, optundit os mihi

Libri *praeceps*, quod Seyffert correxit

Ci. 453 *obsécrŏ* te — ‖ ualeas. ‖ ut sinas — ‖ nil moror. ‖ expur⟨i⟩gare me

Ep. 179 neque séxta aerumna acerbior *Hercúlĭ* quam illa mihi obiectast

Pers. 269 uerbéribus caedi iusserit, *compédĕs* inpingi: uapulet

Ps. 186 ne díctum esse actutum sibi *quaepíăm* uostrarum mihi neget

Sed Rud. 962, quem uersum Goetz et Schoell in ed. min. (aliter in ed. mai.) iambice scandunt, ut in quinto pede *attinĕt* correptum exsistat, potius anapaestos constituo (sic Leo), qui systema anapaesticum finiant.

Si huiusmodi correptio in aliis pedibus atque his exstat, falsa est. Delendus igitur est imperat. correptus *abstinĕ* in

Cas. 229 uxór mea meaque amoenitas, quid tú agis? ábi atque *abstíne* manum

Quae correptio, ut euitaretur, alii aliud emendarunt: Seyffert [1]) collatis uersibus Aul. 270, Ter. Ad. 917 uerba hoc modo traiecit: — — *mánum abi atque ábstine*, quod in ed. mai. receptum est; Müller [2]) inter alia hoc proposuit, ut *atque* deleretur. Sed haec emendatio, quamquam facillima est, cum multis locis *atque* inter duos imperatiuos non ponatur [3]), tamen non est necessaria, quia, quod Müller l. l. animaduertit, uersus sine

[1]) Stud. plaut. p. 9.

[2]) »Prosodie«, p. 226.

[3]) Ex. apud Sjögren, »De particulis copulatiuis«, p. 90.

ulla emendatione scandi potest neque »abstine« corripitur:

— — — quid tu ágis? abi atque ábstiné manum

Sed si in iambis cretici occurrunt correpti prima syllaba ictu percussa, corrupti habendi sunt, quod dactyli huiusmodi ualde dubii sunt. Postquam enim omnes ei dactyli seclusi sunt, qui aut per syncopen (Poen. 1166 sim., Aul. 297 aridus) aut per synaloephen (Amph. 55, Ba. 142, sim.) delentur, ad quos Aul. 429 *uenimus*, quia in priore parte u. Reiziani inest, addo, pauci iique incerti supersunt:

Amph. 157 nec caúsam liceat *dicere* mihi neque in ero quicquam auxili siet

Quia uersus iusto longior est, aut *mihi* (»Proceleusmatici«, p. 20) aut *siet* (Leo) delendum est.

As. 469 nemo *áccipit:* aufer te domum, abscede hinc, molestus ne sis

Libri *accepit;* uulgo *te aufer* scribunt.

Aul. 157 his *légibus* quam dare uis cedo: nuptias adorna

De hoc uersu uide Leonem, Forsch. p. 237 et adn. crit.

Merc. 282 ei et hóc memento *dicere*. ‖ númquid amplius

Ed. mai. *ecquid*, Leo de uerborum traiectione: *ei et dicere hoc memento* in adn. crit. cogitat.

Truc. 447 quam míhimet *omnia* qui mihi facio mala

Fleckeiseno et Müllero ducibus omnes uerba transponunt: quam míhi qui mihimet omnia f. m. (Cfr. Leo, Forsch. p. 238.)

Quod si purus dactylus non est probandus, sequitur creticos correptos damnari debere, qui his in uersibus insunt:

Cpt. 691 quando égo te exemplis *pessumís* excruciauero

ex praepositionem uerbi cum Bothio omnes delent

» 721 ergo áb eo petito | istam *gratíăm.* ducite

Traiectio Pyladis: *gratiam istam* ab omnibus recepta est.

Cas. 335 sed tándem si tu *Iuppitĕr* sis emortuos
e praepositionem uerbi Acidalius deleuit.

Trin. 792 illum quem hábuit *perdidĭt*, alium post fecit nouom
Sic libri, nisi quod *nouom* omiserunt; Leoni adsentior ad hunc uersum adnotanti: »probabilius Fleckeisenus et Schoellius plurium uersuum reliquias esse coniecerunt«.

Truc. 19 (prol.) quo cítius rem ab eo *auferăt* cum puliusculo
Weise *auerrat* coniecit [1]).

Hanc correptionem, de qua nunc egi, in *anapaestis* satis uulgarem esse cognitum est. Ac non solum arses sed etiam theses magnum numerum formarum correptarum habent. Exempla Klotz [2]) collegit, ad quae alia addi possunt, quae omnia non opus est adferre. Id commemoro correptionem etiam polysyllaba, quae in creticum exeant, complecti. Praeter uocabula a Klotzio adlata Curc. 127 auarítĕr, Ps. 603 stratiotícŭm, Ba. 617 indígniŏr haec adnotaui: in arsibus Ba. 1195 amisérĭs (Leo: amissis), Trin. 269 obnoxíŏs, et in thesibus Curc. 126 ingúrgităt, Mil. 1082 postríduŏ, Most. 895, 6 optémperĕm, Ps. 946 effécerĭs, 1321 lubentíssimŏ. Denique animaduerto ultimam uocabulorum paeonis quarti ⏑ ⏑ ⏑ — eodem modo corripi, ut in Cas. 165, 66 sequimínĭ, Ci. 221 maritúmĭs, Pers. 494 = St. 42 mémincrĭs, Ps. 182 praehibéŏ (sic in *P*, praehibeo aut *A*), Trin. 833 satellítĕs.

---

[1]) In Ci. 762 libri *calumniast* habent, quod, cum peccato librarii tribuendum esse appareat, a Valla recte in *alumnast* mutatum est.

[2]) »Metrik«, p. 59 sqq.

II.

Syllabae iambi correpti inter duo uocabula diuisae sunt.

A. Syllabae iambi correpti ultima uocabuli et prima syllaba polysyllabi continentur [1]).

Haec correptio cum ea, quam in priore capite (I: C) tractaui, quam proxime cohaeret. Namque etiam in hac ea quaestio prius absoluenda est, num theses et arses inter duo uocabula diuisae omnino licitae sint. Sed nunc opus non est longius uagari: quaecumque ibi de dactylis disputata sunt, ea mutatis mutandis huc quoque pertinent. Itaque Plautus in primo pede coli iambici et trochaici tales arses et theses admisit.

Vt a thesibus incipiam, exempla apud Leonem collata sunt. Ex his exemplis efficitur nullo loco necesse esse syllaba correpta constituatur, quod in plurimis, in quibus correptio inesse uidetur, ea aut per synaloephen aut per syncopen aut alia mensura accepta deletur. Sic per synaloephen correptio his in uersibus tollitur: As. 405 explétus incédit, Ba. 1069 onústus incéderem, Mil. 897 ornátus incédit, Poen. 577 exornátus incédit; As. 508 mátris impérium, 729 sermónis appáret, Pers. 353 plúris exístumo, St. 432 frátris ancíllulam; Merc. 773 abímus incómmodi. Quare decimo loco, ubi thesis prima est troch. septen., synaloephe similitudinis causa uerisimilis est: Merc. 600 trístis incédit. — Syncope autem necessario adhibenda est in Pers. 150 únde surrúpta (sen.), siue *und'* siue *surpta* accipimus. In ceteris thesibus, cum primum et quintum pedes troch. sept. obtineant, correptio quidem licita sed non uerisimilis

---

[1]) De paucis correptionibus, ubi syllaba correpta e priore syllaba uocabuli bisyllabi constat, uide infra sub C.

est. In Cpt. 246 pérque conséruitium, Ep. 624 éstne consímilis, St. 701 dúmque se exórnat, Mil. 958 átque festíua syncope adhiberi potest et in duobus uersibus, qui supersunt: Cpt. 791 néquis mi obstíterit, St. 576 néquid aduéniens *nĕquis* correptum potius fortasse statuendum est.

Arses huiusmodi paucae in iambis inueniuntur, quae tamen similiter incertae sunt. Quamquam Plautus in primo pede iamborum *tuté tibi*, *uosmét igitur*, sim. admisit, tamen uidetur uitasse tales arses fingere, quarum altera syllaba correptioni subiecta sit [1].

Aul. 679 *indéque ob*seruabo | aurum ubi abstrudat senex

Skutsch (»Forsch.», p. 81), Leo, ed. min. *indeque óbseruabo*, ed. mai. *atque índe*

» 707 *indéque ex*spectabam | aurum ubi abstrudebat senex

Cum uerbum »exspectare» ad sensum non aptum sit, a plerisque *ex* praepositio deletur. Cfr. Skutsch, »Forsch.», p. 78 et Langen, »Beiträge», p. 155.

Mil. 508 *quodqué con*cubinam erilem insimulare ausus es

[1]) Ex hac lege pronom. *ille iste* excepta sunt, quae cum multo saepius quam aliae uoces corriperentur, etiam hanc correptionem quinque locis acceperunt (uide p. 66). — Sed exempla, ubi correptio non inest, non pauca sunt. Haec adnotaui: Amph. 942 intér eos, As. 559 sicút ego, 773 illá minus, Cpt. 371 tuté tibi, Cas. 566 sicút ego, (784 nequís eam), 932 indé foras, Ci. 563 tuté tibi = Curc. 9; Ep. 340 credé modo, Mil. 518 sicút etiam, 542 perqué tua, (946 nequíd ubi), Most. 416 sicút ego, 637 uosmét igitur, (773 siquíd erit), Pers. 47 quaeré tamen, 142 atqué nisi, Poen. 73 uendít eum, 88 uendít eas (prol.), 420 perqué tuam, 687 multá tibi, (1055 indé sum oriundus), 1246 quoqué modo, Ps. 439 essé probiorem, 503 illúd erat, 838 cumqué tuis, Rud. 58 quicquíd erat (prol.), 1253 nullús erat, 1327 millé dabo, St. 442 serués homo, Trin. (157 siquíd eo), 186 hascé mihi (sec. *A*), 568 anté uoluisses, Truc. 385 quomqué bene, (421 postíd ego), 614 tangé modo — Pers. 46 quicqui^5d erit, (47 siquíd erit), (Ps. 919 numquíd agere), Rud. 1308 quicquid erat. Hic numerus augetur, si adduntur: illé quidem, istáquidem sim. — Praeterea huiusmodi arsis etiam aliis pedibus raro inesse uidetur. Videas ex. c. St. 62 quicqué loco, ubi tamen quĭcque pronuntiari potest.

Scandendum est: quodque cóncubinam (Skutsch, l. l. p. 153).

Ep. 47 *ipsé man*dauit mihi ab lenone ut fidicina

Si *ipse*, quod in libris traditum est, retinemus, aut *ipsé măn-* aut *ips(e) mán-* (sic ed. min.) scandere possumus. Ex his altera scansio uix uituperanda est, cum in hoc pede *redd(e)*, *it(e)* semel atque *ill(e)*, *ist(e)* saepe inueniantur; sed priorem probare uereor, dum haec correptio testimoniis tam infirmis confirmatur. Itaque, si neutra scansio placet, ut Leonem *ipsus* scribentem sequamur, suadeam.

Certe damnanda est correptio quae est in

Poen. 910 quín *herclé cŏl*libertus meus faxo eris, si di uolent

A quin, *P* qui hercle conliberatus. Sed ordo particularum suspicionem commouet, cum apud Plautum *quin (qui)* affirmantis secundum locum obtinere soleat. Cfr. Men. 1092 hercle qui, Amph. 776 edepol qui, Amph. 705 = As. 823 at pol qui, As. 930 ecastor qui [1]). Hoc ordine seruato etiam h. l. *hercle qui(n)* scribendum est, quo facto etiam »meus» et »collibertus» locum mutare debent. Habemus igitur uersum talem, qualis a Fleckeiseno restitutus est:

hércle qui(n) meus conlibertus f. e. s. d. u.

In *anapaestis* quinquies haec correptio occurrit, ter in thesi: Aul. 721 péssume ŏrnátus, Cas. 726 excurátus ĭncéssistí, Ps. 592 óbuiam ĭgnóbilis, bis in arsi: Pers. 754 intégro ĕxercítu, 767 Sagaristío ăccumbe [2]).

[1]) Alia ex. uideas apud Brixium, Cpt. 553 adn.

[2]) Mil. 1062 nemíne ăccipiét (sic ed. min.) probare non possum, quia sic uersus alia re claudicat. Aliquid in priore parte uersus uidetur deesse. Cfr. Klotz, Metr. p. 78 et Leo, adn. crit.

B. Syllabae iambi correpti monosyllabo uel bisyllabo eliso et prima syllaba uocabuli plus quam bisyllabi continentur.

Hanc correptionem apud Plautum uulgarem esse ostendit Klotz [1]), qui sumpsit correptionem primum in syllabis exstitisse, quae praepositiones essent uel cum uerbis uel cum substantiuis coniunctae, ut in *quíd ăbstulisti*, *in ĕxércitum*, tum in alias syllabas analogice irrepsisse ut in *séd ŏptumé*, *nóuo ŏrnatú*. Et credere licet hac uia correptionem diuulgatam esse, cum omnium plurimae syllabae correptae talia sint praefixa. Quamquam uanum et inutile opus esse credo in syllabis omnibus analogice correptis decernere conari, cui formae principali correptio debeat. Neque necessarium esse mihi uidetur tales formas inuestigare. Namque ex exemplis huius correptionis efficitur uim analogiae non eam esse, ut una syllaba ob similitudinem alterius syllabae correpta sit. Contra unum genus correptionis alterum secum trahebat. Neque tamen hoc forte fortuito, ut dicitur, factum est, sed fines correptionis per accentum erant definiti, ultra quos nisi ob certas causas progredi non liceret. Primum igitur quaecumque prima syllaba sine accentu erat, correptionem pati poterat, si post eam syllaba acuta sequebatur. Et licet haec correptio primum ad praefixa pertinuerit, tamen etiam alias syllabas accentu carentes subinde complectebatur. Vt enim *ab ĕx-ércitu*, *in ŏc-cúlto* ita etiam *sibi ŭxórem*, *nec ărgénti*, *per ănnónam* inuenimus. Haec correptio non modo in thesibus sed etiam in arsibus locum habebat. Nam quo iure Plautus et *iuuentútem* et *íuuentutém* ictu percutiebat, eodem et *in occúlto* et *ín occultó* usurpabat. Tum correptio eas primas syllabas complectebatur, quae, quamquam accentu non carebant, leuiorem accentum ferebant.

[1]) »Metrik«, p. 73 sqq.

et qui correptionem non prohiberet, ut in *quía ĭnuocátus*, *quía ăntepártum*, *béne ĕuenisse*. Cum hac correptione ea est comparanda, quam in *ádoptatícium*, *púgillatórium* statuimus. Sed etiam latius correptio ui analogiae diuulgabatur. Cum enim syllabae leuiore accentu percussae correptionem passae essent, paucis syllabis acutis, i. e. principali accentu praeditis, correptio non parcebat. Qua in re animaduertendum est harum syllabarum duas in uocabulis inesse, quae enclitice fere usurpantur: aduerbium ***interim*** (séd ĭnterim, égo ĭnterim) et uerbum ***obsecro*** (í ŏbsecro, táce ŏbsecro), quod in enuntiata iniectum aduerbii uice fungitur. In ceteris autem uocibus talis excusatio adferri non potest, sed in his analogia sufficiat, ut correptio explicetur; e quibus uocibus plurimae compositae sunt (ad-feram, au-feram, ac-cubes, exprobras, in-uocat), paucae simplices sunt (hospite, optumus, altera). Videmus igitur in hoc genere correptionum legem de accentu illam plerumque esse seruatam sed in paucis uocibus supra suos fines egressam esse. Neque praetermitto, quin commemorem exempla troch. sept. omnia uno excepto in primo uel quinto pede inesse.

Nunc exempla quae mihi fabulas plautinas perlegenti occurrerunt, adnotabo. Multa horum a Klotzio l. l. iam sunt adlata, et pauca alia fortasse reperiri possunt.

1. Syllaba correpta accentu caret; accentus et ictus in syllaba subsequenti positi sunt.

a. Syllaba positione longa est.

In senariis:

Amph. 125 in exércitum, 140 ab exércitu, 893 id Amphítruon(i)

As. 60 meam uxórem, [125 quod incéperam: uulgo *quo* scribitur]

Aul. 32 sibi uxórem, 47 ut incédit, 482 et inuídia, 673 hóc ubi abstrúdam

Cpt. 71 scio absúrde, 83 in occúlto
Cas. 574 sed uxórem, 600 tuam arcéssituram
Ep. 511 meum exénterauit
Merc. 244 ad uxórem, 671 ac incédit eccam (libri *atque;* uulgo uerba traiciuntur: atque eccam i.), 726 scio, innóxius, 751 sed intérii, 766 et uxórem suam (*A:* suam u.)
Mil. 28 at indíligenter, 58 neque iniúria, 1289 ut occídi
Poen. 733 ibi extémplo, 981 quia incédunt
Ps. 1055 et abdúcere
Rud. 51 is illíus
St. 179 per annónam
Truc. 698 ubí male accípiar

In iamb. septen.:

Ci. 710 ad Alcésimarchum
Ep. 369 suom imprúdens
Mil. 1235 meam extémplo

In iamb. octon.:

Ep. 21 tuo aduéntu
Pers. 268 ubi occásio

In ceteris iambis:

Cas. 899 ut occéperas
Most. 880 eo aduórsum

In troch. septen.:

Amph. 504 ad exércitum, 675 ⟨mé⟩ meum offícium
As. 147 tuo império, 380 quín tu⟨om⟩ offícium
Aul. 267 inhiát, ea adfínitatem, 594 incumbát eo impéllere, 613 meam extémplo
Cpt. 1031 nec argénti
Ep. 545 meum incértat
Merc. 652 tibi exílio

Most. 1043, 4 suom arcésserem
Poen. 1207 fore inuíto
Ps. 138 ubí data occásiost, 378 sine argénto
Trin. 709 tibi intérpellatio, 1053 mage exígere
Truc. 759 tibi inlécebra

b. Syllaba natura longa est.

In senariis:

Merc. 774 tibi euénit

In troch. septen.:

Cpt. 566 eum ignóras
Curc. 594 neque audíui
Mil. 645 meae orátionis
Most. 273 quia ecástor

2. Syllaba correpta accentu caret; ictus in syllaba breui praecedenti positus est.

a. Syllaba positione longa est.

In senariis:

Amph. 873 út occepí, [903 pótin est út abstineás: *est* deletur]
Cpt. 80 cócleae ín occultó
Men. 320 án opsono ámplius
Merc. 765 séd uxorém suam
Most. 763 síbi exemplúm

In iamb. octon.:

Cpt. 536 ómnis ín incertó

In troch. septen.:

Amph. 793 nísi apparét, 1086 túam uxorem út
Cpt. 246 quód hostica éuenit
Cas. 553 súam uxorem hanc

Ci. 103 éum uxorém
Curc. 613 quód argentúm, [476 íbi ostentátores]
Ep. 237 égo abscessí, 252 éum argentúm
Merc. 377 túam aduorsúm
Mil. 341 éam exire híne
Most. 308 áge accumbe igitur, [381 sícut ego aduentú]
Ps. 326 = 330 eí arcess(e)
Rud. 1275 éum aduenićns
St. 380 út occepí
Trin. 664 ín occultó, 665 túom ingenuóm, 675 túom incendés, [712 níl ego in occulto]
Truc. 521 tíbi obuenít

In troch. octon.:

Pers. 472 íta ancillá mea

b. Syllaba natura longa est.

Ci. 43 haec quídem ecastor (i. sept.)
Poen. 283 eú ecastór (tr. sept.)
Trin. 852 éo ornatú (tr. sept.)

3. Syllaba correpta leuiorem accentum fert; ictus in breui syllaba praecedenti positus est.

a. Syllaba positione longa est.

In senariis:

Cpt. 70 quía inuocátus
St. 455 méum optentúrum
Trin. 132 súam incohátam, 137 éum exturbásti
Truc. 343 quía antepártum

Ba. 298 eo exánimatús fui

In iamb. septen.:

Mil. 888 síbi immortális
Rud. 352 méa Ampelísca

In iamb. octon.:

Amph. 1066 méo occidístis

In troch. septen.:

Aul. 645 quíd abstulísti
Ba. 97 égo opsonábo
Cpt. 307 fúi imperátor, 494 méo arbitrátu, 867 túo arbitratu
Ci. 109 éum inclamáre
Mil. 217 héri adbibísti, 231 égo impetráre
Pers. 222 quíd offirmásti, 267 béne admordére, 600 súo arbitrátu
Poen. 276 máge immortális
Ps. 661 túo arbitrátu
Rud. 642 dúae innocentes, túi indigéntes
St. 747 súa inmundítia
Trin. 964 quód accepísti, 990 méo arbitrátu, 1142 méo adlegátu
Truc. 272 quí⟨a⟩ accepísti, 514 tíbi exoptátum, 753 síne experíri (*B:* experiri sinem), 907 díe efficiátur, 911 túo arbitrátu

In troch. octon.:

Truc. 571 néque acceptríci (secundum Leonem)

b. Syllaba natura longa est.

In senariis:

Men. 468 íta ignorábitur
Poen. 1078 béne euenísse
St. 493 égo infimátis

In troch. septen.:

Cpt. 340 út aestumátum (uulgo *ut* delent)
Men. 804 méa ornaménta
Pers. 483 mánu emisísti

4. Syllaba correpta acuta est; ictus in syllaba breui praecedenti positus est.

a. Syllaba positione longa est.

In senariis:

Amph. 9 (prol.) éa adferam, éa
Merc. 329 séd optumé
Mil. 136 súo hospití, 542 quíd obsecrás, 555 méum hospitém
Most. 410 uél optumó (uersum eiecit Ritschl)
Ps. 129, 30 táce, opsecro

In iamb. septen.:

As. 449 éhem, optumé

In iamb. octon.:

Amph. 1061 síbi inuocát

In troch. septen.:

Curc. 486 séd interím
Most. 1094 égo interim
Pers. 543 séd optume
Poen. [291 pól idquidem]
Rud. 657 í obsecro, 1405 túam alterám
St. 618 úbi accubés, 705 séd interím
Trin. 318 quíd exprobrás
Truc. 826 túa obsecró

In troch. octon.:

Ci. 6 íta omnibús
Ps. 1273 módum intuli

b. Syllaba natura longa est.

In senariis:

Curc. 271 tíbi euenát (libri: eueniat)
Ps. 486 égo auferám

Haec tanta exemplorum multitudo plurimum augetur, si bisyllabam pronuntiationem pronominis ***mihi*** iis locis accipimus, ubi libri hanc formam habent, et si hiatum, non elisionem monosyllaborum multis in uersibus statuimus. Sed cum in his rebus nihil certi adfirmari possit, haec exempla supra omisi. Quamquam contendo ipsas correptiones, quae sic exsisterent, legitimas fore. Quis enim, qui illas correptiones probauit, has repudiare audeat: mihi argéntum, mihi euénit, míhi optulísti? Sed apparet haec exempla, quae numerum quinquaginta superant, nullam uel minimam uim habere probandi. Quod autem ad eas correptiones attinet, quae ab hiatu pendent, ad quaestionem de hiatu monosyllaborum perasperam et saepissime tractatam deferor. De hac quaestione hic locus mihi aptus uidetur pauca, quae ab aliis nimis neglecta uideo, dicere [1]). Plauti fabulas legentibus nobis statim elucet eum monosyllaba modo in hiatu posuisse modo elisa usurpasse. Cuius rei causam maximam partem in ea re sitam esse existimo, quod haec monosyllaba aut cum accentu aut sine eo in enuntiato pronuntiabantur. Ex his uocibus nonnulla accentum semper ferebant, alia, quae quasi ancipitia erant, in aliis collocationibus et locutionibus accentum habebant, in aliis eo carebant. Hac distinctione seruata usitatissima monosyllaba recensebo. Ei generi monosyllaborum, quae semper cum accentu pronuntiabantur, particulas exclamatiuuas ***ei, em, hem, heu***, sim. adtribuo, quippe in quibus uis singularis insita sit. De harum prosodia et collocatione metrica ad ea, quae disputauit Richter [2]), reicio. E quibus cum efficiatur

[1]) Hae adnotationes etiam ad caput sequens pertinent. [Postquam haec scripsi, eandem sententiam in his rebus Skutschium nuperrime protulisse inuenio, quocum me consentire maximopere gaudeo. Vide »Philologum», LIX, p. 481 sqq. »Zur lat. Wortgeschichte und plautinischen Versmessung, I. Em, monosyllaba in Hiat, pronominale Genetiue auf -ius».]

[2]) »De usu particularum exclamat. apud priscos scriptores latinos».

elisionem nusquam esse necessariam sed hiatum metri causa aliquot locis postulari, iis quoque locis, qui utramque mensuram admittant, hiatum cum correptione coniunctum elisione meliorem esse puto. Hac causa in Poen. 283 eŭ ĕcastór, Ba. 274 ém accipitrina, As. 840 em aspécta, Rud. 177 hem errábit sim. hiatus et correptio constituenda est. Etiam in imperatiuis hanc propriam uim agnosco, ut in Rud. 657 í obsecro, Trin. 627 stá ilicó feriri debeat. Neque dubito, quin, si monosyllaba plautina diligentius inquisierimus, alia huius generis reperiamus. Vnum substantiuum h. l. commemoro: *di*, quod certis locutionibus, ubi encliticum est (magní di, duodecím di) exceptis, ui et accentu pronuntiatum esse debet. Videas ex. c. Truc. 805 dí obsecró uostrám fidém. Eadem causa formula illa exclamatiua *dí ĭmmortales* (Cpt. 697, Men. 474, Most. 77, Ps. 667, 688, 736, Rud. 421, 1161, 1360 cet.) acuenda erat. Neque tamen hoc certum habeo, quod, cum prior uox *i* uocali terminaretur et ab eadem uocali posterior inciperet, synaloephe facile exstitit. Credo enim in his rebus, quae ad hiatum et synaloephen spectant, maiorem quam adhuc factum est rationem naturae uocalium collidentium habendam esse. Item pronomen interrogat. *quis* acutum erat, quare ictus in ipso pronomine non in uocabulo sequenti collocari debet. Vt unum ex. exhibeam, *quó árguménto* (Mil. 1001, Rud. 1023) percutiendum est. Cfr. quíd exprobrás, quíd obsecrás.

In altero genere monosyllaborum res multo difficilior est. Tamen in animo nunc non habeo de hac re uniuersa agere, sed uiam, quam intrandam esse credo, paucis uerbis ostendam.

Quoniam omnia huius generis monosyllaba enumerare longum est, haec usitatissima, quae enclitice uel proclitice usurpari possunt, adfero: substantiua *rei rem*, pronomina personalia *mi me tu te se* et relatiua *qui quae quem* cet., uerbum subst. *sum*, praepositiones *cum de pro prae*, coniunctiones *ne ni dum num si quom quam*, particulas *nam iam*. Omnium plurimis locis haec monosyllaba elidi *possunt* atque non paucis locis elisio metri causa flagitatur. De datiuo *rei* Leo hoc exemplis probauit [1]); idemque, quamquam non tam constanter fit, in aliis horum uocabulorum obseruari licet. Vt metri causa elisa sunt: *rem* Amph. 270 = Ba. 404 quám rem agát, Men. 685 quám rem agis, Truc. 745 í rem habént, *tu* Rud. 1072 quíd tu aîs, St. 712 uinúm tu habés, *te* Pers. 626 sí te emám, quibus in uersibus monosyllaba in ultima thesi collocata sunt, *tu* Trin. 943 e⟨h⟩o an tu, étiam, *te* Poen. 333 quó te agis? ‖ égone, Trin. 698 equidém te animátus, *sum* Ep. 202 ét ego Apoécidés sum. ‖ et egó quidem sum Épidicus. 641 ego sum ét ístic, Mil. 1009 tíbi sum ‖ útinam, Most. 353 cónspicátus sum. érus, *qui* Amph. 535, 614, 615, 779, Trin. 937, *iam* Amph. 544, *nam* Trin. 340, *quam* Ps. 925 cet. [2]) Item necesse est elisionem usurpare, ubicumque, si hiatus adhiberetur, falsus proceleusmaticus exsisteret [3]). Ex multis exemplis adfero: *mi* Truc. 784, *tu* Amph. 700, *te* Amph. 743, *sum* Merc. 589, Mil. 647, Most. 353, *qua* Amph. 771. Contra non desunt loci, ubi hiatum accipere cogimur uelut in: *te* Amph. 731, As. 148 (bis) [4]), *quem* Amph. 1103, As. 150, *quo* Amph. 450, *quae* Ps. 72, Trin. 6, *sum* Amph. 403, Curc. 541, *ne* Amph. 305, 325, *si* Amph. 358, As. 143, 228, *ni* Amph. 673, *quom* Amph. 668, *dum* Amph. 509, *iam* Amph. 424. Quae cum ita sint, quamquam omnino fere destituti uidemur, non opus est prorsus desperare. Si enim locos hiantes inspicimus, post monosyllaba encliticas saepe sequi uidemus. Atque apparet haec monosyllaba atona ob hanc rem accentu feriri itaque in hiatu esse. Sic multis locis, ubi metrum nihil decernit, diiudicare possumus, utra scansione utamur. Liceat mihi

[1]) »Forsch.», p. 324.

[2]) Alia ex. apud Skutschium, l. l. p. 488 sqq.

[3]) Cfr. »Proceleusmatici», pp. 118—119.

[4]) Sed his locis *ted* restitui potest.

duobus exemplis hanc rem illustrare. Praepositiones cum pronominibus coniunctae ictum ferre solent. Cumque *áb eo*, *cúm eo* scandendum esse metrum ostendat, analogia efficit, ut, si *ille iste* encliticae sequantur, eadem scansio adhibeatur: *cúm ĭllo*, *pró ĭllo*, non: *cum íllo* [1]). Sin autem aliud uocabulum non encliticum a praepositionibus rectum est, synaloephe uulgo adhiberi debet, quod praepositiones tum naturam suam procliticam seruant. Itaque *de Álcumena* (Amph. 110), *de ámittenda* (Ba. 223), *cum hóspite* (Ba. 282), *pro áncilla* (Ba. 45), *cum óptumis* (Pers. 567), *cum órnamentis* (Ps. 756) percutio. Interdum tamen in his collocationibus praepositio percutitur ut in Most. 310 *cúm amicá sua*. Cfr. etiam As. 706 *de hórdeo*.

Tum uerborum collocatio nos in hac re docere potest. Wackernagel ostendit uocabula, quae in enuntiatis accentu careant, secundum uel tertium locum obtinere amare. Et ex aliis linguis indoeuropaeis et ex italicis cognouimus praedicatum in enuntiatis et interrogatiuis et secundariis quibusdam pronomini uel coniunctioni se libenter adplicare. Quo facto accentus praedicati in pronomen et coniunctionem quasi transmotus est. Credo igitur non iniuria Büchelerum conclusisse Plautum *né adeas* acuisse [2]). Quod si uerum est, etiam *né ŏpprobra* (Trin. 361), *né attigás* (Truc. 276) et fortasse *quóm ŏsculābar*, *sí ădmigráret* sim. pronuntiandum est. Sed hoc non modo in praedicato ualet sed latius patere uidetur. Quamquam tempus est has de hiatu adnotationes interrumpere, cum, qua uia in his rebus constituendis nos tutissime procedere mihi uideamur, significarim [3]).

---

[1]) De *ille iste* encliticis uide cap. sequens.

[2]) »Vmbrica», p. 171. Cfr. Skutsch, »Forsch.», p. 154.

[3]) Pauca de hiatu toto addo, quod ut faciam commoueor libro Birtii »Der Hiat bei Plautus und die lateinische Aspiration», qui tamen nihil de hiatu monosyllaborum praebet. Ex hoc libro id credo effici apud Plautum hiatum et elisionem duas formas sermonis fuisse, quarum altera alteram non excluderet sed quae simul in usu essent:

Easdem correptiones, quas in iambis et trochaeis inuenimus, ***anapaesti*** quoque habent. Cum quod animaduersione dignum sit non praebeant, satis sit exempla adferre.

1. Ba. 617 neque indígnior (Leo), 1205 quidem addíctos
Cas. 725 ego essúrio, 877 ita inrídiculo
Mil. 1011 tibi exóptatum, 1066 eu ecástor
Most. 876 ubi aduórsum, 895, 6 tibi obtémperem
Pers. 495 meae auxílium, 758 bene accípere
Ps. 593, 94 dabo insídias, 946 ubi efféceris, 950 nisi effécero (Leo), 1316 et argéntum

---

hiatum quasi formam quandam pausae, elisionem autem formam intimi enuntiati fuisse. Hiatus igitur principio tum usurpabatur, ubicumque in enuntiato pausa quaedam inerat, quae uerba coalescere prohibebat. Nimirum fieri non potest, ut fines eius certi et ad omnes locos pertinentes constituantur. Nam licet usus sermonis multis in collocationibus multisque locutionibus certas leges praescripserit, apparet arbitrio eius qui loquebatur permissum esse, ut utra forma magis ei tum placeret uteretur. »Logicus» igitur hic hiatus quodammodo appellari potest — quod Klotz fecit — sed usus eius multo latius quam is sumpsit patebat. Contra Birt mea quidem sententia non probauit causam huius hiatus ex aspiratione uocalis, a qua altera uox inciperet, esse petendam. Nam, quod sciam, non ostendit *h* in antiqua latinitate consonam fuisse, cuius sonus spiranti *ch* simillimus esset. Si enim *h* idem ac *ch* est, quomodo elisio, quae ante hunc sonum etiam saepius quam hiatus occurrit, explicatur? Deinde quoniam — quod ipse Birt concedit — *h* in aliis uocibus falso omissum, in aliis falso additum est, hoc sententiae eius quam maxime repugnat. Ex hac re nihil aliud sequitur nisi *h* debilem sonum habuisse, ut non facile audiretur, utrum uox ab *h* an a uocali inciperet. Tum si sententia Birtii probatur, non intellegitur, qui fieri potuerit, ut *h* »spurium» exsisteret. Si enim e duobus uocabulis, in quibus similitudo sonorum uel maxima erat, alterum a uocali alterum ab *h* incipiat, cum *h* idem sit ac *ch*, neque *h* »germanum» deleri neque *h* »spurium» creari potest, quod initia uocum nimium inter se differunt. Tum necesse esse apparet productionem breuis uocalis, quam ante *h* non raro inueniri contendit, aliae causae tribuendam esse. Nonne etiam hoc pausae uindicandum est? Constat enim hanc productionem saepe in caesuris inesse. [Ceterum uideas quae de hiatu Lindsay nunc disputauit in »Journal of Philology», Vol. XXVII, p. 208—227.]

St. 40 suom offícium
Truc. 111 at ecástor
2. Ba. 1204 quídem actutúm
Pers. 174 méum ingeniúm, 768 áge: accumbe
Ps. 913 méum officiúm, 1295 égo adflictér
Rud. 187 a ín incertás
St. 34 súom officiúm
Trin. 269 tíbi obnoxíos, 299 méa imperiá, 840 b nóuo ornatú
3. Ba. 1195 íd euentúrum
Mil. 1056 égo interdixi
Poen. 1183 íbi inridículo

St. 327 tuo arcéssitú
Truc. 571 neque accéptrici

In metro *cretico* talis correptio semel occurrit: Trin. 250 quód ĕcbibít

C. Syllabae iambi correpti monosyllabo uel bisyllabo eliso et priore syllaba bisyllabi continentur.

Si exempla huius correptionis recensuerimus, mox uidebimus in nonnullis uocibus correptionem satis uulgarem esse atque in paucis etiam tam saepe occurrere quam primigeniam quantitatem seruari, cum aliae uoces singulis modo locis contra usum uulgarem correptionem patiantur. Quae ipsa res haud minimi momenti est. Scimus enim Plautum in iambis suis et trochaeis sermone cottidiano locutum esse neque sine causa leges in hoc sermone ualentes uiolasse. Cum hae correptiones iterum iterumque repetantur, merito concludere possumus eas non metri causa fictas esse sed e uera pronuntiatione sumptas. Et haec sententia confirmatur, cum qua natura uoces correptae sint consideramus. Earum pleraeque tales sunt uoces, ut in enuntiatis sine

accentu sint pronuntiatae. De quibus primum disputabo. Huc referenda sunt pronomina *ille*, *iste*, quae ui demonstrandi amissa saepe atona fere usurpantur. Neque tamen contendo ea, ubicumque correpta inueniuntur, atona esse; sed si plerisque locis enclisis correptionem effecit, in ceteris analogia ualere potuit. Enclisis perspicua est iis locis, ubi ante haec pronomina aliud pronomen (quis, quod, ego, sim.) uel praepositiones (ab, in, cum) uel particulae (em, en, ut, ubi, nisi, sim.) collocata sunt. In his collocationibus correptio legitima est, quia uoces praecedentes accentum ferunt: *quíd ĭlle*, *ém ĭste*. Itemque correptio in iis formis horum pronominum, quae ultimam acuebant, i. e. in quibus *-ce* particula adfixa est, recte exstitit: *ab ĭstóc*, *quid ĭllíc;* atque per analogiam correptio ad alias formas transiit: *ut illúm*, *quid illís*. Quae uia huius correptionis explicandae, quamquam optima mihi uidetur, tamen non est una. Fieri enim potest, ut *quíd illum* correptum alteram percussionem *quid illúm* secum traxerit (cfr. iuuentútem : iúuentutém). Quod de *ille*, *iste* dixi, si ad *ipse* pertinere contendere non audeo, correptio huius pronominis, quae multo rarius reperitur, analogiae illorum uindicanda est. — In uerbis *esse*, *inquam* per enclisin correptionem factam esse uix opus est monere. Ipsa collocatio uerbi *inquam* hoc demonstrat et uis enclitica, quae in formis monosyllabis *sum es est sunt* bene cognita est, eandem in bisyllabis quoque formis *estis esse* ualuisse probat. — Particulas *autem*, *ergo* encliticas esse nemo negat, ut correptio earum non debeat offendere. Et credibile est multas alias particulas certis uocabulis se similiter adplicasse, ut atona fierent. Mihi quidem ualde placet enclisin etiam in *hercle* (quídem hercle), *umquam* (néc umquam), *eccum* (séd eccum), *etsi* (tám etsi) constituere. Fortasse correptio, quae est in *intus* (quíd intus), *intro* (í intro), *inde* similiter explicanda est? Hanc sententiam non uanam esse, ex eo credo intellegi, quod hae particulae locum encliticum, i. e. secundum locum enuntiati, obtinere solent, atque nisi

cum certis uocibus coniunctae sunt non corripiuntur. — In praepositione *inter*, quae correpta occurrit, alia quaedam res est. Quoniam praepositiones procliticas esse ideoque accentu carere constat, correptio recte adest, si monosyllabum breue praecedit (uél inter cúneos). Neque minus iusta correptio est, si propter encliticam adfixam ultima acuta est (et intér nos). Tum animaduerto me eandem percussionem huius praepositionis cum correptione coniunctam in locutione: *núnc ego intér sacrúm saxúmque* bis (Cpt. 617, Cas. 970) repperisse. — Si ad uocabula atona, quae correpta inueni, particulam copulatiuam *atque* addo, neminem eam ob rem me adgressurum esse spero.

Ex his uocabulis, quae nunc adtuli, *ille iste* maximum numerum formarum correptarum habent, qui numerum formarum non correptarum paulum superat. Quae ratio in ceteris sit, cum formas non correptas non numerauerim, dicere nequeo. Id certum est in multis harum uocum formas non correptas numero praeualere. Nunc locos, ubi singulae uoces correptae inueniuntur, enumerabo, nisi quod in *ille iste* paucos testimonii causa a me adferri satis habeo.

ille Amph. 891 quód illaec, Poen. 78 ín illisce — Amph. 922 ego illúm, Most. 215 ut illúm — In hiatu sunt: Aul. 333, Ba. 865 cúm illo, Curc. 63 pró illa, Merc. 313 ém illic, Cpt. 650 uaé illis, Pers. 270 uaé illi, alia. In Cas. 432 ut illé trepidabat, Poen. 620 et illé chlamydatus, Truc. 309 nón enim illé meretrículis — *ille* syncope pronuntiari debet, qua de re uide »Proceleusmatici», p. 34, 110. Tribus locis ante *ille* correptum praeit bisyllabum uel trisyllabum elisum: Mil. 1388 ipsu^{1}s illic, St. 679 inte^{1}r illud, Pers. 545 hae^{1}cine illást

iste As. 35 quíd istuc, Aul. 53 égo istos — As. 32 a quid istúc, ubi istúc, Cas. 453 ob istánc — In hiatu sunt: Amph. 829 dé istoc, Mil. 1115 dé ista, Curc. 195 pró istis — As. 323 ém ista, Cpt. 249 ém istuc, Merc. 523 ém istaec, Merc. 306 seú istuc, alia. — Bisyllabum ante *iste* correptum inest in Curc. 245 aufe^{1}r istaec, Pers. 137 sicu^{1}t istic, Trin. 598 ibi^{1}t istac — Poen. 265 i^{5}nter istás

ipse Amph. 415 ét ipsus, Ba. 478 út ipsus, Cpt. 279 quíd ipsus, Cas. 492 út ipsa, Poen. 664 ut quídem ipse, 669 út ipse, 845 quási ipse, Ps. 641 quási ipsi, Trin. 800 quóque ipsam, 902 áb ipson — Truc. 154 neque ipsís

esse, estis Ba. 41 quíd esse, 724, 5 út esse, 891 éum esse, Cpt. 433 méam esse, 627 túom esse, Ep. 584 túam esse, 586 méam esse, Merc. 962 síbi esse, Poen. 772 quía esse, 889 íd esse, Ps. 347 túam esse, 637 = 682, Rud. 1132 éum esse, St. 125 síbi esse, Trin. 565, 979 égo esse, Truc. 83 síbi esse — Ci. 649 úbi estis, Poen. 1256 méae estis, Ps. 159 quóque estis — *ěsses*, si libros sequimur, in Cpt. 417 habemus, simulque *meus* per synaloephen pronuntiandum est:

> nóx diem adimat; nam quasi seruos méus esses,
> nihilo setius

Praeterea *esse* breui monosyllabo non praecedente nonnullis locis correptum esse uidetur, qui tamen loci dubii sunt. Vide Müllerum, Pros. p. 300 sqq.

inquam Cpt. 571 négo inquam, 572 égo inquam, Ep. 691 áge inquam (si hiatus ante *age* recipitur)

autem nulla ex. apud Pl. exstant, nisi quae in hiatu sunt ut in As. 716 té autem, Ps. 225 tú autem, Ci. 67 = Rud. 727 sí autem

ergo Aul. 639, Pers. 185, Poen. 881, Ps. 1313 quíd ergo, Merc. 971 tíbi ergo — In hiatu: Poen. 405 í ergo

hercle Amph. 736 hac quídem hercle, Aul. 283 me quídem hercle — Trin. 58 dum quídem hercle, 559 meus quídem hercle, 912 déum hercle — In hiatu: Cas. 814 di hercle, Cpt. 868, Most. 237 té hercle, Mil. 403, Trin. 62 tú hercle, Pers. 186 dá hercle

eccum, cet. séd eccum (eccam) Aul. 177, Ba. 393, Cas. 536, Most. 1120, Poen. 1330, Ps. 965, St. 527, Truc. 917 — séd eccos (eccas) Ba. 403, Rud. 663 — tíbi eccas Truc. 530 — sed eccúm (eccám) Cas. 796, Men. 275, 565, Mil. 1290, Pers. 83 — sed eccás Poen. 1166

etsi in coniunctione *tám etsi* Amph. 977, Aul. 178, Curc. 259, 504, Men. 92, Mil. 744, Poen. 1201, Ps. 471 — máne, etsi Pers. 272 — tam etsí Amph. 21, pol etsí Aul. 421

intus Cas. 587, Poen. 424 égo intus, Mil. 612 quód intus, Trin. 1101 séd intus

intro Merc. 1010 meum intró refero pedem — (St. 396, Truc. 958 í intro)

inde Pers. 394 tíbi inde

umquam Poen. 489 nec umquám — (Cas. 1001, Ci. 499 si umquam)

inter St. 619 uél inter cuneos — Merc. 536 et intér nos — Cpt. 617, Cas. 970 núnc ego intér sacrúm saxúmque

atque Amph. 657 méo atque (in) ductu, Cas. 418 méa atque maiorum, 477 méum atque uícinum, Ps. 584 méum atque uóstrorum, Rud. 1267 súom atque mátrem — In hiatu: Trin. 69 mé atque té, 442 té atque nós

Paucis locis in genetiuis *eius*, *huius* prior syllaba correpta est, quae correptio offendere non debet, cum de his genetiuis idem atque quod de *ille*, *iste* supra sumpsi ualeat. Neque haec correptio cum ea mensura confundenda est, qua hi genetiui, etsi breuis syllaba non praeit, duas breues syllabas efficere uidentur. Et correptioni iambicae prior syllaba genetiui *illius* bis debetur, ubi bisyllaba forma metro postulatur, i. e. ubi forma *illi(s)* est constituenda [1]). Versus hi sunt:

[1]) De his formis genetiuorum *eius*, *huius*, *illius* infra in Excursu agam.

eius Pers. 830 táce, stulte: *hĭ́c eius* geminus frater. ‖ híc inest? ‖ ac geminissimus

Poen. 882 fácere faciat *mále eius* merito? tum autem, si quid tu adiuuas

(Merc. 650 sí ibi amare forte occipias átque item eiús sit inopia

Correptio *ei(s)* forma constituta tollitur; cfr. Mil. 1171, Most. 957.)

huius Cpt. 1015 *quíd, huius* fílium —? ‖ intus eccum fratrem germanum tuom

Curc. 716 líbera haec est, *hĭ́c huius* fráter [est], haec autem íllīús soror

Sic uersum restituo; de percussione *illiús* cfr. Trin. 163 et Excursus; aliter Leo.

illius Cpt. 39 (prol.) huius íllic, *hĭ́c illius* hodie fert imaginem

Sed fortasse *ille* pro *illic* scribendum.

Ps. 1091 memini. ‖ *ém illius* seruos huc ad me argentum attulit

In hiatu sunt: Men. 590 pró eius factis — Amph. 289 pró huius uérbis, Cpt. 396 dé huius fílio, Men. 181 praé huius córporis — Ep. 447 dé illius íllae, Mil. 1170 praé illius fórma

Inter haec uocabula, quorum prior syllaba legitime corripitur, numerandus est imperat. *abdúc*, in quo ultima propter apocopen acuta est:

abdúc St. 418 age abdúc hasce intro quas mecum adduxi, Stiche

Si in his uocabulis correptio ea re explicari potest, quod syllabae correptae alia ob aliam causam accentu carebant, in iis uocibus, de quibus nunc agam, talis excusatio adferri uix posse uidetur. Hae enim uoces non ea natura sunt, ut suspicari liceat accentum earum propter enclisin amissum esse. Sed quoniam has omnes correptiones delere

difficillimum est, praesertim cum correptio in duabus harum uocum uulgaris sit omninoque in uersibus bene traditis inueniatur, alia uia correptionis explicandae nobis est quaerenda. Atque primum eas duas uoces, in quibus correptio saepius occurrit, inspiciam.

uxor Amph. 522 uérum quod tu dicis, *méa uxor*, non te mi irasci decet

Cas. 304 iám metuo, ne Olympionem *méa uxor* exorauerit

» 409 pátiundumst, siquidem me uiuo *méa uxor* imperium exhibet

» 1000 *séd, uxor*, dá uiro | hanc ueniam. Myrrhina, ora Cleostratam

Merc. 543 ut ápud me praehiberem locum: ideo feci, *quía uxor* rurist

Cas. 412 témperi, postquam oppugnatumst os. ‖ *age uxór* mea, nunciam

mea del. Bentley, ed. mai. et min.

» 481 *mea uxór* uocabit huc eam ad se in nuptias

Ci. 613 *ea uxór* diem obiit. iam scis? ‖ teneo istuc satis

Rud. 895 *sed uxór* scelesta me omnibus seruat modis

omnis Ci. 774 quíd hoc negotist. *quód omnes* homines fabulantur per uias

Mil. 55 quid tíbi ego dicam *quód omnes* mortales sciunt

» 184 própter amorem *súom omnis* crucibus contubernalis dari

Trin. 621 quoí tuam quom rem cre⟨di⟩deris, *sine omni* cura dormias

Aul. 606 núnc *sine omní* suspicione in ara hic adsidam sacra

Mil. 660 lépidiorem *ad omnis* res nec qui amicus amico sit magis

Sic Leo; libri: — — — nec magis quid amicus amicos sint magis

Rud. 87 *ita omnís* de tecto deturbauit tegulas

» 1285 *ita omnés* mortales, siquid est mali lenoni, gaudent

Trin. 78 *quia omnís* bonos bonasque adcurare addecet

Quod ad *uxor* attinet, causam non reperio, cur in Cas. 412 pron. *mea* tollatur, quia, si hoc pron. retinetur, et accentus et correptio iusta sunt. Tum correptio ea, quae est in locutione *méa uxor*, haud aspernanda est, quippe in qua ipsum pron. *mea* ui quadam singulari, *uxor* autem nulla uel minima quidem ui acutum sit. Quod cum in hac et haud scio an aliis huiusmodi locutionibus correptum usurparetur, hic usus in multos alios locos facile irrepsit. Ceterum celare non debeo plurimis locis correptionem eos pedes uersus obtinere, quos licentia affectos esse supra saepe uidimus. Vt enim primus pes iamborum *perdíte*, *tuté tibi*, *decídŏ*, *ducĕntós* patitur, ita etiam *mea uxór*, *ea uxór*, *sed uxór* tolerare debet. Atque si in primo pede coli trochaici Plautum *ómniŭm*, *dédĭsse* admisisse putamus, non *séd ŭxor* nobis repudiandum est. Quae omnia ad alterum uocabulum *omnis* pertinent. Si Mil. 660 a Leone recte restitutus est, correptio, quae est in *ŏmnís res*, cum accentus et ictus inter se conueniant, prorsus non offendit. Et correptio uersuum Rud. 87, 1285, Trin. 78, 621 propter locum, quem in uersibus obtinet, tolerabilis est. Nonne fieri potest, ut hoc adiectiuum, quod ui et accentu adfici solebat, in locutionibus quibusdam accentum suum amiserit? Quod si fieri potest, certe in his locutionibus: »omnes homines, omnes mortales, sine omni cura» sim. cogitare licet. Tum correptio per hiatum effecta in *dí omnes* (Men. 451, Pers. 581, Poen. 859, Rud. 1166) admitti poterat.

Quod si primo pedi liberiorem mensuram recte adtribui, hac re correptio defendenda est in his uersibus:

Mil. 1278 *quia uĕdís* dotales huius sunt. ‖ itane? ‖ ita pol. iube domum ire

Ps. 1260 *úbi ălter* alterum bilingui manifesto inter se prehendunt

Poen. 922 *éro ŭni* potius intus ero odio quam híc sim uobis omnibus

Truc. 561 nám iam de hoc obsonio de *mína ŭna* deminui modo

Poen. 871 síne pennis uolare hau facilest: *méae ălae* pennas non habent

Contra in duobus uersibus qui supersunt correptionem aliquo modo tollendam esse existimo:

Ep. 474 ei quae áccessere *tíbi ăddam* dono gratiis

Verba sic traicio: ei quae áccessere addam tibi d. g.

St. 614 nón metuó: *per hŏrtúm* transibo. non prodibo in publicum

Klotz post *hortum* inseruit *ego* (Metr. p. 85). — Müller *emit* correptum bis (Ep. 602, 621) sumpsit, sed in priore uersu *cíuis eam émit* scandi debet et in altero *ego*, quod *A* habet, delendum est. Neque correptio, quam ed. min. in *ante* (Cpt. 310) constituit, quod *tam égo fui ánte* scandere licet, probanda est.

Nunc uero, cum ad correptionem bisyllaborum elisorum transibo, primum animaduertam plurima harum uocum nobis supra occurrisse, cum de correptione bisyllaborum non elisorum ageretur. Quamquam igitur in his correptionem cum elisione cohaerere non opus est, tamen bisyllaba correpta inueniuntur, quorum correptionem ab elisione pendere existimo. Supra p. 16 sqq. ostendi trisyllaba, quorum media syllaba longa est, elisa corripi posse, quia tum uim iambici bisyllabi habent. Eademque res est in bisyllabis trochaicis elisis, ante quae praecedunt breuia monosyllaba. Iambus enim, qui

tum exsistit, idem ac duo monosyllaba iambum simul efficientia ualet. Quo igitur iure *nisi ab*, *quod in* ante consonas posita, *quid est* sim. corripiuntur, eodem hoc in *quod ill(e)*, *uel hercl(e)* sim. fit. Et quoniam monosyllaba natura longa, quamquam multo rarius, correpta reperiuntur ut Ba. 491 *tíbi aut*, Cpt. 250 *ín hac — quis hic, quid hic* (saepe), concludi potest bisyllaba elisa, quorum prior syllaba natura longa sit, correptionem pati. Quod fieri posse grammatici hodierni et editores fabularum fere omnes negant. Sed Klotz et Skutsch hanc quoque correptionem recte defenderunt. Namque ipsa analogia correptio commendatur. Neque paucitas exemplorum eam uetare debet, cum etiam monosyllaba correpta, quae natura longa sint, numerum multo minorem efficiant. Sic Skutsch [1]) et Klotz [2]) in Cpt. 90 *uel ire éxtra* correptionem probant, sed Leo *uel* deletum uult, et in ed. mai. et min. uersus uiolentissime emendatur. Idem Klotz [3]) in Mil. 24

nisi ŭnum: épityra apud illam estur insane bene

legit, quod tamen ualde dubium est (uide adn. crit. ed. mai. et Leonis). Sed in

St. 451 *ea ĭbo* óbsonatum atque eadem referam opsonium

Skutsch [4]) ut in Cpt. 90 recte accepit. Item libris auctoribus correptio inest in

Truc. 252 quae ubi quámque nostrarum uidet *prope hasce* aédis adgrediri,

quam correptionem et Leo et ed. min. receperunt, et in *unus* semel:

Pers. 264 díu quo bene erit *díe uno* absoluam. tuxtax tergo erit meo: non curo

(In Poen. 1420 *mihi* monosyllabe pronuntiandum est).

1) »Jambenkürzung», p. 126 adn. 3 et p. 135.

2) Metr. p. 83.

3) Ibm p. 85 sq.

4) »Jambenkürzung», p. 127.

Huc Skutsch etiam particulam *usque* rettulit, quod *u* uocalem natura longam esse linguae romanicae confirment [1]. Haec particula elisa et correpta in Pers. 461 *méo usque e Persia* inuenitur. In his uocibus pronus sum correptionem elisioni tribuere propterea quod *ire ibo* praeter hos duos locos, ubi eliduntur, correpta non sunt, et *unus* correptum, quod bis repperimus, singulari causa defenditur. Sed in *autem* correptionem ab elisione non pendere exempla p. 67 docent. Ad exempla ibi adlata haec elisa addo: Merc. 421 túam autem accusari — Curc. 718 tú autem in, Mil. 1003 = Poen. 1393 túm autem

Correptio bisyllaborum elisorum, in quibus syllaba correpta positione longa est, multo saepius occurrit. Sed plurimas harum uocum, quae correptione adficiuntur, etiamsi non sunt elisae, correptionem tolerare supra uidimus, quas eodem ordine, quo supra usus sum, seruato enumerabo:

ille As. 758 quód illa amica, Merc. 511 quía illim unde — As. 757 quod illa aút, Men. 536 ubi illae ármillae — As. 818 nisi quídem illa ante, Men. 336 ut quídem ille insanus — In hiatu: Ba. 860 cúm illa opprimere, Merc. 455 cúm illo, is, Merc. 383 dé illa amica, Mil. 989 praé illa et, Ep. 370 quasi pró illa argentum, sim.

iste Ep. 721 quíd isti oratis, Merc. 891 égo istum in — Cpt. 414 féci ego ista út, St. 628 nón ego isti ápud — In hiatu: Truc. 845 pró ista inscítia

ipse Trin. 901 úbi ipse erát, 928 séd ipse ubíst

esse Aul. 608 méum esse istíc, 757 méam esse opórtere, Mil. 549 méam esse erílem, 992 néque esse hic, Poen. 391 túa esse ea, Trin. 337 tíbi esse amícum — Curc. 110 canem esse hánc, Men. 889 quid esse ílli, 1042 meum esse aíbat, Rud. 1165 meam esse hánc

inquam Mil. 178 quíd agis tú, inquam, in tegulis

ergo Mil. 1008 quíd ergo hanc, Poen. 893 fác ergo id, St. 727

[1] »Jambenkürzung«, p. 127.

áge ergo obserua, Trin. 926 quíd ergo ille — In hiatu: As. 335 ém ergo is, Poen. 404 dá ergo ut

hercle Ci. 296 quidem hercle haéc — In hiatu: Poen. 1234, Trin. 555 tú hercle; Aul. 250 sí hercle; Cpt. 464, Ci. 662 nám hercle, alia.

eccum, eccam Cpt. 997 séd eccum incédit, Ci. 655 séd eccam erám, Mil. 470 dómi eccam erilem, 1215 séd eccam ipsam — Ep. 186 sed eccum ípsum

intro Mil. 1250 éam intro. ‖ occlúsae (libri: etiam intro), Truc. 210 quía intro abit — In hiatu: Cpt. 452 tú intro abí, Aul 800 í intro exquaére, Truc. 197, 696 í intro, amábo

unde Curc. 608 tibi, unde ad me, Truc. 131 éam unde es — Ci. 671 neque unde aúxilium

umquam Truc. 240 neque umquam úlla

atque Nulla ex. nisi hiantia exstant: As. 714 a abs té atque adgrédere me ípse (sic credo uerba traicienda esse), Rud. 378 tú atque erús; St. 279 míhi atque abundat, Aul. 275 mí atque eríli

Praeter haec uocabula, quae etiamsi non elisa sunt correpta inueni, pauca alia singulis locis correpta occurrunt:

ecquem, ecqua Poen. 1044 sed ecquem ádulescentem, Mil. 794 séd ecqua ancíllast

erga Ps. 1020 út erga illúm

estne Most. 310 séd estne hic méus sodalis

adde Trin. 385 séd adde ad ístam

ambo St. 741 sí tibi ambo áccepti sumus

In his duobus uocabulis, quae extremo loco posui, correptionem propter elisionem factam esse contenderim, de ceteris certam sententiam proferre non audeo.

Supplementi causa h. l. ea bisyllaba adicio, quorum prior syllaba breui uocali continetur sequentibus uel muta et liquida uel consona *qu*. Constat apud Plautum has syl-

labas ictum non sustinuisse et ipsa uocabula, si iambica erant, correpta esse [1]. Si elisione monosyllaba facta erant, haec syllaba et breue monosyllabum antecedens duas breues efficiebant. Cuius rei exempla sunt: Trin. 616 út agro euórtat, 676 tum ígitur tíbi aquam erít cupido — uel, si mauis: túm igitúr tibi aquae érit cupido. Itaque in Trin. 560 lepide hércle dé agro ego húnc —, Pers. 3 cúm apro Aetolico — scando.

Duobus locis correptio inuenitur bisyllabi elisi, ante quod praecedit non breue monosyllabum sed breuis syllaba, quae est in medio trisyllabo:

Ci. 62 *índidem ŭnde* óritur facito ut facias stultitiam sepelibilem

Poen. 1231 sed illúd quidem uolui *deícere: immo* hércle dixi quod uolebam

In priore uersu correptionem, cum thesis huiusmodi in primo pede legitima sit, non adgredior [2]. Sed in altero correptio eam ob rem suspecta est, quod thesis falso est formata, quare melius mihi uidetur aut *immo* aut *hercle* delere.

Quod ad *anapaestos* attinet, nihil est, cur correptio ab usu iamborum trochaeorumque abhorreat. Et in his metris eadem uocabula eodem modo correpta inueniuntur.

ille St. 23 égo illum, 34 quía illi — Ba. 1150 senem illúm, 1154 quid illaéc, Cas. 227 ut illí, Mil. 1046, 1048 ab illá, cet. St. 24 neque illé sibi (proceleusmaticus qui in iambis non toleratur).

iste Ba. 1202 égo istuc, Mil. 1040 idem istuc — Ba. 1171 ut istúc, Cas. 209 tuam istaéc, Ci. 8 pol istó, cet.

ipse Ba. 1160 iam ego ipsús

eccum Ps. 911 sed eccúm

[1] Cfr. »Proceleusmatici«, p. 47, adn. 2.

[2] Cfr. Skutsch, Forsch. p. 70, adn. 3.

inter Ps. 947 et intér pocula

intus Ci. 688 nam et intús, Truc. 711 uide intús

omnis Pers. 760 égo omnis hilaros, Ps. 165 éum omnis uós — Pers. 784 dí omnes

obdo Cas. 893 forem obdó

usque Trin. 827 meo usqué modo

uxor Cas. 227 sed uxór

Elisa sunt:

atque Curc. 146 ére atque, Rud. 227 lóca atque, Trin. 824 ágo atque — Truc. 112 bona atque étiam

esse Ba. 1194 quidem esse haúd, Most. 902 a ut esse áddecet

hercle Mil. 1056 heu hercle ódiosas

inde Rud. 960 quíd inde aéquomst

intro Cas. 881 ubi intro hánc

unde Ci. 671 neque unde aúxilium

In *creticis* eadem correptio paucis locis inuenitur.

iste Ep. 75 quíd istuc ád, Trin. 246 ét istuc ét

ecquis Cas. 951 séd ecquis ést

Item in thesi soluta uersus *bacchiaci ille* correptum inest: Most. 787 quid illíc, opsecró

Ex his, quae supra disserui, hanc legem accentus correptioni iambicae in *iambis et trochaeis* me recte constituisse credo, *ne syllaba correpta accentum sustineret*. Namque inuenimus ex exemplis, quae huic legi obstare uideantur,

1. *multa legem non uiolare*, cum accentus syllabae correptae uel per elisionem uel per enclisin (siue ipsum uocabulum encliticum est siue post hoc uocabulum enclitica sequitur) amissus sit,

2. *multa ob eam causam excusari*, quod in primo pede coli iambici et trochaici inueniuntur, qui quidem pes ut in

aliis rebus sic etiam in correptione iambica liberiorem structuram admittat.

Contra in exemplis quae supersunt, in quibus ob neutram harum causarum correptio defendatur. eam falsam esse contenderim, qua re fit, ut hi uersus aliquo modo emendari debeant.

Tum apparet hanc legem accentus in *anapaestis* non ualere.

EXCVRSVS.

De genetiuo pronominali in -ius exeunti.

Postquam Luchs in »Genetivbildung der pronomina« (Studia Studemundi pp. 319—386) ostendit genetiuos *illius istius* apud poetas antiquae scaenicae poesis interdum bisyllabe pronuntiatos esse, ut ante consonas *illi isti,* ante uocales *illis istis* usurparentur, omnes credo doctos uiros hanc sententiam, licet uiam et rationem, qua ille has formas explicauit, non probarint, recepisse, donec Leo in »Forschungen« p. 286 sqq. eam adgressus delere conatus est. Is enim contendit formas bisyllabas non nisi enclitica ***modi*** sequente in usu fuisse, i. e. *illi- isti- modi*, ceteris autem locis trisyllabas formas seruari debere; namque paucis locis, qui hanc pronuntiationem pati non uideantur, aut, si hi genetiui ante uocales sint, synaloephen esse adhibendam, aut, si ante consonantes collocati sint, correptionem primae syllabae statuendam. Contra eum Skutsch in Philologi uol. LIX, p. 481 sqq. »Em, monosyllaba in Hiat, pronominale Genetive auf -ius« sententiam Luchsii defendit ostendens uno quidem uersu plautino

Ps. 1091 memini. || ém illius séruos huc ad me argentum attulit

bisyllabum *illis* necessario esse statuendum. Et equidem credo in hac re Skutschium recte iudicasse; quare cum non hoc uno uersu genetiui illi bisyllabi probentur, sed ad hanc

sententiam adiuuandam etiam aliae res adferri possint, in totam rem iterum inquirere aptum mihi uidetur.

Recte existimant bisyllabam formam *isti*, ubicumque *modi* subsequatur, recipiendam esse, quamquam in libris praeter Truc. 930 *istius* traditum est. Neque tamen credo Leonem has formas recte explicasse putantem propter encliticam sequentem *isti* ex *istius* exstitisse. Sed puto antiquos genetiuos *isti illi*, qui necesse est temporibus antiquis in usu fuerint, in hac collocatione seruatos esse atque posteriore aetate, cum pro iis trisyllaba *istius illius* in aliis locutionibus locum occuparent, huc etiam irrepsisse. Cfr. *quoius : quoi (quoimodi)*.

Sed si hoc modo genetiui *illi isti* facile explicantur, alia res est in genetiuis a Luchsio et Skutschio acceptis *illis istis*. Et concedendum est huius genetiui formam difficiliorem esse explicatu. Sed ne forma obscuriore offendaris, consideres peto in pronominibus non modo latinae linguae sed plurimarum linguarum haud paucas formas occurrere, quae origine naturaque ualde obscurae nobis uideantur, ut huic rei non nimium adtribuas. Ceterum quocumque modo hic genetiuus explicandus est, certe in lingua osca genetiuus pronominalis eiusdem generis inest *eiseis* [1], qua quidem re hic genetiuus latinus maxime recommendatur, et uersus plautini (aliorumque poetarum scaenicorum) hunc genetiuum postulant. Namque iis locis seclusis, in quibus *illius istius* ante uocales collocata per synaloephen pronuntiari possunt, pauci loci supersunt, qui, cum post pronomina consonantes sequantur, eam pronuntiationem prohibeant. Et his locis *illĭus* dactylum constituere metrum uetat.

[1]) Cfr. Skutsch l. l. p. 501 adn. 30 et v. Planta, Gramm. der oskisch-umbrischen Dialekte II, p. 226. — Duae uiae, nisi fallor, huius genetiui explicandi nobis praesto sunt. *illis* enim aut ex *illius* syncope quadam exstitit aut — quod equidem uerisimilius habeam — ex antiquo genetiuo *illī* terminatione *s* suffixa, quam in genetiuis aliorum pronominum *mis tis* inuenimus, formatum est.

Quod autem Leo dicit *ĭllius* pronuntiari posse, argumento multo infirmiore nititur, id dico, quod prior syllaba pronominum *ille iste* nulla ratione syllabae praecedentis habita correpta esse poterat. Sed etiamsi haec correptio certe probata esset, tamen hac re formae *illis istis* non essent deletae. Inuenimus enim apud Plautum genetiuos ***eius huius quoius*** enclitica ***modi*** non subsequente saepe admodum monosyllabe pronuntiatos esse. Cumque in his forma monosyllaba ***eis*** cet. necesse sit recipiatur, quia in his atque illis genetiui eodem modo sunt formati, analogia efficitur etiam bisyllaba *illis istis* probanda esse [1]). Quae bisyllaba, ubicumque metri causa postulantur, non modo ante consonantes sed etiam ante uocales, ubi de synaloephe cogitari potest, adhibenda esse credo.

His rebus consideratis in sententia antiqua a Luchsio probata atque a Skutschio defensa remaneo. Sed ut de re, qua de agitur, unusquisque ipse iudicet, exempla plautina horum genetiuorum e uersibus iambicis et trochaicis sumpta hic infra colligam, quibus in adferendis primum ea collocabo, quorum formae longiores seruatae sunt, tum ea, in quibus prima syllaba correptione iambica est correpta quaeque mensuram ancipitem admittunt, denique ea, in quibus breuiores formae constituendae sunt.

[1] Analogia haec est: quoius : illius = quoi : illi = quois : x. Apparet igitur formationem omnium horum genetiuorum eandem fuisse: ad stirpem *quo- illo-* terminatio genetiui propria *ī* adfixa est, ut *quoī illī* exsisteret; deinde, cum *us* additum sit, formae *quoius* (< *quoiius* < *quoīus*) et *illīus* factae sunt.

I. Eius huius quoius.

1. *Genetiui bisyllabum efficiunt.*

a. *Ictus in paenultima positus est.*

α. *Formae ante uocales collocatae sunt.*

eius As. 393, 531 — Aul. 17 (prol.) — Ba. 284 — Cas. 13 (prol.), 480, 556, 603 — Ci. 138 — Men. 34 (prol.), 190 — Mil. 976, 1235 — Most. 975, 1157 — Ps. 651 — Rud. 1035 — Trin. 178, 741

huius Amph. 265, 798 — Aul. 6 (prol.), 290, 603 — Cpt. 95, 335, 576, 974 — Cas. 1013 — Men. 816, 848, 1090 — Mil. 474, 634, 969 — Poen. 392, 656 — Ps. 271, 857 — Rud. 42 (prol.) — Truc. 772 — In fine uersus As. 681 — Incerta sunt: Aul. 619, Mil. 908

quoius Cpt. 887 quoíus érat — Ep. 716 — Men. 477 — Most. 970 — Rud. 1002, 1005, 1021 quoiust — St. 545 quoíus érat tibicina — Trin. 533, 536

β. *Formae ante consonantes collocatae sunt.*

eius As. 345, 402, 737 — Aul. 172 — Ba. 559, 986 — Cpt. 748 — Cas. 450 — Ci. 144, 164, 301, 514, 621 — Ep. 110, 356 — Men. 222, 590 — Merc. 44, 850, 908 — Mil. 62, 448, 950, 1105, 1229 — Most. 246, 981, 985 eíus pátris me, 1063, 1127 — Pers. 602 — Poen. 157, 1404 — Ps. 57, 607, 617, 718, 986 — Rud. 79 (prol.), 1066, 1214, 1271, 1276, 1277, 1379 — St. 268, 270 — Trin. 108, 111, 122, 176, 430, 671, 733 — Frgm. 48 — Incertum est Mil. 1276

huius Amph. 289, 359, 811 — As. 556, 632, 643, 725 minăs huíus, 883 — Aul. 802 — Ba. 449, 597 — Cpt. 396, 437, 574, 988 — Cas. 772 — Ci. 769 — Curc. 518 — Ep. 722 — Men. 181, 855, 1071 (bis) — Merc. 957 — Mil. 519, 699, 700, 997, 1000, 1153, 1278 — Most.

207, 664 — Poen. 83 (prol.), 155, 379, 388, 394 (bis), 779, 1091, 1171, 1246 — Ps. 314, 733 — Rud. 285 (i. dim.), 1079, 1090 — Truc. 13 (prol.) — Vid. 105 — Incerta sunt: Cpt. 275, Mil. 1327, Poen. 120 (prol.).

quoius Amph. 375 — As. 203 — Aul. 289 — Cpt. 986, 1009 — Men. 812 — Mil. 996 b — Rud. 967, 1094 — Truc. 431 — Incertum est Mil. 1009

b. *Ictus in ultima positus est.*

[Amph. 85 uide sub 2 et Merc. 650 sub c.]

eius Mil. 1171 quásique eiús opulentitatem reuerearis: et simul

» 1234 ne | óculi eiús senténtiam mutent, ubi uiderit me

Most. 957 quártus, quintus, sextus usque, postquam hinc peregre eiiús pater

Rud. 2 (prol.) eiús sum ciuis ciuitate caelitum

huius Aul. 22 (prol.) paritér moratum, ut pater auosque huiús fuit

Cpt. 4 (prol.) senéx qui hic habitat, Hegio, est huiús pater

» 17 (prol.) fugitíuos ille, ut dixeram ante, huiús patri

Merc. 514 orátio edepol pluris est huiu⁵s, quam quanti haec emptast

Poen. 1367 habeámus hilare huiús malo et nostro bono

Alia ex. incerta uide sub 2 et 3 b: Poen. 387 sqq.

c. *Paenultima correptione iambica correpta est.*

eius Men. 590 ápud aediles pró eius factis plurumisque pessumisque

Merc. 650 sí ibi amare forte occipias a⁵tque item eiús sit ínopia (sed fortasse potius scandendum est: eíus sit)

Pers. 830 táce, stulte: híc eius geminust frater. || hic-inest? || ac geminissumus

Poen. 882 fácere faciat mále eius merito? tum autem, siquid tu adiuuas

huius Curc. 716 líbera haec est, híc huius fráter [est], haec autem illius soror (*est* ipse seclusi)

Cetera ex. in hiatu ideoque incerta sunt: Amph. 289 pró huius uerbis, Cpt. 396 dé huius filio, Men. 181 praé huius corporis candoribus — Haud scio an etiam alia huc referenda sint ut Cpt. 576, Ps. 314.

2. *Metrum duplicem scansionem admittit.*

eius Amph. 85 (prol.) eiús ornamenta et corium uti conciderent

Cpt. 289 quíd tu ais? tenaxne pater est ei^{5}us? immo édepol pertinax

Merc. 445 eíus amóre. || multo hercle ille magis senex, si tu scias

» 995 Eútyche, te⟨d⟩ oro — sodalis ei^{5}us es — serua et subueni

Mil. 960 eíus hunc mi ánulum ad te ancilla porro ut deferrem dedit

» 975 eíus ⟨h⟩uc gémina uenit Ephesum et mater accersuntque eam

huius Amph. 96 (prol.) dum huiús argumentum | eloquar comoediam

Cpt. 39 (prol.) huiús illic, hic illius hodie fert imaginem

» 349 né uereare: meo periclo | huí^{5}us ego experiar fidem

Ci. 608 huiús e⟨r⟩go quaero. || quo modo igitur, obsecro

Poen. 393 huíus amíca mammeata, mea inimica et maleuola

quoius Amph. 378 quoíus es? || Ámphitruonis inquam Sosia. || ergo istoc magis

» 589 quoíus ego hódie in tergum faxo ista expetant mendacia

Most. 1067 quoíus ego hódie ludificabor corium, si uiuo, probe

Pers. 261 stúltus, qui hoc mihi daret argentum quoi^{5}us ingénium nouerat

Poen. 274 quoíus egó nebulai cyatho septem noctes non emam

Ps. 210 Xýstilis fac ut animum aduortas, quoi^{5}us amátores oliui

In Trin. 358 *quoius* in *quoi* recte mutatur.

3. *Metri causa formae monosyllabae postulantur.*

a. *Genetiui ante uocales positi sunt.*

eius As. 81 habuít, me habere honorem eius ingenio decet

Aul. 25 (prol.) dat míhi coronas. eius honoris gratia

Ba. 367 [1]) super aúro amicaque eius inuenta Bacchide

Cpt. 146 aliénus quom eius incommodum tam aegre feras

Mil. 1133 ancíllula eius ac Pleusicles. pro Iuppiter

Rud. 52 (prol.) et áliarum itidem quae eius erant mulierculae

» 1091 sí quidem hic lenonis eius est uidulus, quem suspicor

» 1200 iussíque exire | húc seruom eius, ut ad forum

» 1204 nimis paéne inepta atque odiosa eius amatiost

St. 50 nam pól mihi grata acceptaque huiust benignitas

[1]) In Ba. 366 *eius* recte deletum est.

St. 169 esse ánnos: eius ex semine haec certost fames
Trin. 338 quía sine omni malitiast, toleráre eius egestatem uolo
» 737 te ei dícas: facere id eius ob amicitiam patris
» 940 ád caput amnis qui de caelo exoritur sub solio Iouis
» 967 mírum quin ab auo eius aut proauo acciperem qui sunt mortui
Truc. 967 Véneris causa adplaudite: eius haec in tutelast fabula
huius Amph. 266 ét enim uero quoniam formam cepi huius in me⟨d⟩ et statum
» 267 décet et facta moresque huius habere me similes item
» 486 sed Álcumenae | huius honoris gratia
As. 721 opto ánnum hunc perpetuom mihí | huius óperas. ‖ impetrasti
» 736 noctem huíus et cenam sibi ut dares. ‖ iube aduenire, quaeso
Ci. 316 sed quóm dicta huius interpretor, haec herclest, ut ego opinor
Poen. 316 útquidem tu huius oculós inlutis manibus tractes aut teres
Ps. 201 íd tibi taurus fiet profecto. ‖ nimis sermone huius ira incendor
(De priore parte uersus uide p. 34.)
» 208 táce. ‖ quid est? ‖ male morigerus mihi, quom sermoni huius óbsonas
Rud. 1317 profécto | huíus est uídulus. perge alia tu expedire
quoius Amph. 26 (prol.) etenim ílle quoius huc iussu uenio Iuppiter
» 141 (prol.) et séruos, quoíus ego hánc fero | imaginem

As. 144 éadem nunc, quomst melius, mé quoius óperast ignoras mala
» 724 quid ego áliud exoptem amplius nisi illud quoíus inópiast
Rud. 963 uídulum istum quoíus est nóui ego hominem iam pridem. ‖ quid est?
» 967 égo illum noui quoius nunc est: tu illum quoíus antehác fuit

b. *Genetiui ante consonantes positi sunt.*

eius Amph. 989 egó sum Ioui dicto audiéns, eius iússu nunc huc me adfero
» 991 patér uocat me, eum sequór, eius dícto imperio sum audiens
» 1004 meo me aéquomst morigerum patrí: eius stúdio seruire addecet
Cpt. 107 condígne pater est eíus morátus moribus
» 350 frétus ingenio eíus, quod me ésse scit sese erga beniuolum
Ci. 101 · nam éum pater eíus subégit. nunc mea mater iratast mihi
Merc. 105 dico eíus pro méritis gratum me et munem fore
Poen. 48 (prol.) eius núnc regiones, limites, confinia
» 823 sátis spectatumst deos atque homines eíus neclégere gratiam
St. 433 ad cénam ad eíus conséruom Sagarinum Syrum
Truc. 467 béne si facere incepit, eíus ⟨r⟩e nímis cito odium percipit
huius As. 601 qui sése parere apparént huius légibus, profecto
» 605 sermóni iam finem facé tuo: huíus sermónem accipiam

As. 855 Artemona, si huíus rei ésse me mendacem inueneris
Aul. 815 crédo ego illum ut iussi eampse anum adi⟨i⟩sse. huíus nutrícem uirginis
Cpt. 642 huíus scelésti techinis, qui me ut lubitumst ductauit dolis
» 800 fáciam, ut huíus dieí locique meique semper meminerit
Ci. 607 huius quaé locutast quaerere ai[e]bas filiam
Men. 1135 hóc erat, quod haec te meretrix huíus uocábat nomine
Merc. 599 núnc quid restat? ei disperii uoltus neutiquam huíus placét
Poen. 387 síc enim diceres, sceleste: | huíus uolúptas, te opsecro
» 388 huíus mel, huíus cor, huíus labéllum, | huíus lingua, huius sáuium
» 389 huíus delícia, | huíus salús amoena, | huíus festiuitas
» 390 a huíus colústra, | huíus dulcículus caseus, mastigia
» 1136 eho, an huíus sunt íllaec filiae? || ita ut praedicas

quoius Amph. 346 póssum scire, quo profectus quoíus sis aut quid ueneris
Ba. 1016 persuásumst facere quoíus me núnc facti pudet
Cpt. 106 quoius númquam uoltum tranquillaui gratiis
» 806 uaé misero illi, quoíus cibo iste factust imperiosior
Cas. 282 stúltitiast ei te esse tristem quoíus potéstas plus potest
Mil. 17 quoius tú legiones difflauisti spiritu
Rud. 78 (prol.) quoius deturbauit uentus tectum et tegulas

St. 69 nós oportet quod ille faciat, quoíus potéstas plus potest
Truc. 204 quoius núnc ista aduentum expetit. || immo ab eo ut nuntiatumst

c. *eius- huius- quoiusmodi.*

Pronuntiandum est *eímodí* cet.

eiusmodí Ba. 676, Mil. 801, Rud. 127, Trin. 337
huiusmodí Amph. 938, 941, Ba. 66, Cpt. 1033, Poen. 824, 1273, Ps. 823, Trin. 795
quoíusmodí Men. 221, Most. 642, 817, 908, 1117, Pers. 648, Rud. 422, 424, Trin. 501
quoiuismodí Pers. 386, Ps. 741

Videmus igitur, quamquam loci, ubi hi genetiui bisyllaba sunt, eos, qui monosyllabam pronuntiationem postulant, multum superant, tamen hos genetiuos monosyllaba efficientes non paucos esse. Numeri enim hi fere sunt: bisyllaba, in quibus paenultima ictu feritur, 166 sunt, e quibus 51 ante uocales, 115 ante consonantes locum habent, ad quae accedunt 4 paenultima iambice correpta. His respondent certa monosyllaba 68, e quibus 32 ante uocales, 36 ante consonantes collocata sunt, ad quem numerum addere possumus *eimodi* cet., quorum numerus 23 est. Itaque dubium esse non potest, quin genetiui monosyllabi sint constituendi. Sed in alia re dubitatio uere exsistere mihi uidetur, formaene bisyllabae ultima ictu percussa probandae sint. Si enim exempla prologorum seclusa sunt, non plura quam 6, in quibus haec percussio metri causa necessaria est, supersunt: Merc. 514, 650, Mil. 1171, Most. 957, Poen. 1367. In ceteris autem uersibus, ubi haec scansio uulgo accipitur, ego quidem paenultimam acuere malo, praesertim cum huic scansioni nihil obstet. Vt in Mil. 1234, quo in uersu hiatus aliquo loco statuendus est, hiatus post *oculi* eodem iure quo post *ne* inesse potest, ut uersus sic scandatur:

ne óculi | eíus senténtiam mutent, ubi uiderit me

Et in uersibus Poen. 387—390 a, qui *huius* multis locis sic praebent, ut, si hos uersus sine hiatu scandamus, *huiús* pronuntiare cogamur, potius hiatum logicum sane licitum recipio, qua re membra uel cola uersuum etiam concinniora sunt [1]. Idemque in Cpt. 349 facio, ut hiatus in caesura media legitimus exsistat. Atque etiam in 6 illa exempla, quae supra adtuli, pronus sum impetum facere. Namque duobus uersibus seiunctis: Merc. 514 *huiús,* ubi genetiuus quintum pedem septen. iamb. occupat, et Merc. 650 *eiús,* ubi enclitica *sit* accentum tuetur, in ceteris haud scio an monosyllaba hiatu aliquo loco accepto melius defendantur. Idem etiam in exemplis prologorum fieri potest, sed de his fusius disserere supersedeo.

Etiam alia res dubia esse potest, iis paucis locis, ubi, si bisyllaba seruamus, dactylus inter duo uocabula diuisus fingitur, huncne dactylum retineamus an formis monosyllabis utamur. In Merc. 445 eíus amóre, Poen. 393 huíus amíca, Amph. 589 = Merc. 1067 quoíus ego hódie, Poen. 274 quoíus egó, Ps. 210 quoíus amátores dactylus, cum et legitimus et quodammodo uulgaris sit, tolerabilis habendus est. Sed in Cpt. 289 eíus ĭmm(o), Merc. 995 eíus ĕs, Mil. 960 eíus hŭnc, 975 eius hŭc, Amph. 378 quoíus ĕs, Pers. 261 quoíus ĭngénium dactylum non facile defendi ex iis, quae supra explicaui, euadit [2]. Quare cum formas monosyllabas metrum admittat, his potius utor.

---

[1]) Poen. 390 b certe interpolatus est.

[2]) De locutione *illic hinc abiit* uide Skutschium, »Forsch.« p. 115.

II. Illius istius (ipsius altrius).

1. *Trisyllabum efficiunt.*

a. *Ictus in paenultima positus est.*

α. *Pronomina ante uocales collocata sunt.*

illius	Amph. 896	illíus íra in hanc et maledicta expetent
	Cas. 550	própter operam illíus hírqui | ímprobi | edentuli
	Ci. 515	ítaque me Ops opulenta, illíus áuia — || immo mater quidem
	» 766	illíus égo istanc esse malo gratiam
	Men. 904	séd ego stultus sum, qui illíus ésse dico quae meast
	Merc. 236	ait sése illíus ópera atque aduentu caprae
	» 534	nunc quándo amicum te scio esse illíus, índicabo
	Mil. 589	nam illíus óculi atque aures atque opinio
	» 986	haéc celox illíust quae hinc egreditur internuntia
	Most. 612	illíus: ís tibi et faenus et sortem dabit
	Poen. 895	eódem quo soror illíus áltera Anterastylis
	Rud. 77 (prol.)	ad uíllam illíus, éxul ubi habitat senex
	» 1094	sí scelesti illíus ést hic quoius dico uidulus
	Trin. 965	átque etiam Philipp[e]um, numeratum illíus ín mensa manu
	Truc. 657	nam oués illíus haú longe absunt a lupis
istius	Ba. 252	istíus hóminis ubi fit quomque mentio
	Trin. 894	páter istíus ádulescentis dedit has duas mihi epistulas
ipsius	Cpt. 287	ímmo edepol propter auaritiam ipsíus átque audaciam
altrius	Cpt. 306	qui ímperare insueram nunc alt[e]ríus ímperio obsequor

β. *Pronomina ante consonantes collocata sunt.*

illius Ba. 851 uir hic ést illíus múlieris quacum accubat
» 1044 miserét me illíus. ‖ túos est: non mirum facis
Ci. 745 quid istúc negotist? aut quis es? ‖ ego sum illíus máter
Men. 42 (prol.) illíus nómen indit illi qui domist
» 45 (prol.) proptérea illíus nómen memini facilius
Merc. 443 sánus non est ex amore illíus: quód posces, feres
Mil. 111 quam erus méus amabat. nam is illíus fíliam
» 1172 fórmam, amoenitatem illíus, fáciem, pulcritudinem
» 1238 istúc curaui, ut opinione illíus púlcrior sis
» 1299 a mátre illíus uénio. si iturast, eat
Most. 242 pro illíus cápite quod dedi, numquam aeque id bene locassem
Pers. 36 út mihi des nummos sescentos. quos pro capite illíus péndam
Poen. 158 illíus dómino, non lutumst lutulentius
Rud. 51 (prol.) is illíus laúdare infit formam uirginis
Trin. 157 siquíd eo fuerit, certe illíus fíliae
istius Ep. 629 haéc edepol remorata med est. ‖ siquidem istíus gratia
Merc. 738 nil hércle istíus quícquamst. ‖ numero purigas
Mil. 1163 némpe ut adsimulem me amore istíus differi. ‖ tenes
» 1164 quásique istíus caúsa amoris ex hoc matrimonio
» 1165 ábierim cupiens istíus núptiarum. ‖ omne ordine

b. *Ictus in antepaenultima et ultima positus est.*

illius Curc. 716 líbera haéc est. hic huius frater [est]. haec autem illiús soror
Cfr. supra p. 84.
Trin. 163 quid tíbi ego dicam, qui ílliús sapientiam

2. *Duplex scansio licita est.*

illius Curc. 413 libértus illíus, quem omnes Summanum uocant
aut: libértus íllius, quem ómnes —
Ps. 1169 séquere, quid ais? némp(e) tu illíus seruos es? ‖ planissume
aut: — — némpe tú illius séruos —
istius Trin. 552 aequóm uidetur, quí quidem ĭstíus sít modi
aut: — — quí quidem ístius sít modi

3. *Metri causa bisyllaba postulantur.*

a. *Ictus in prima syllaba uel monosyllabo praecedenti positus est (illius).*

α. *Illius ante uocales est.*

Aul. 35 (prol.) is ádulescentis íllius ést auonculus
Ba. 487 út opino[r] íllius ínspectandi mi esset maior copia
» 494 Mnésiloche, hoc tecum oro ut íllius ánimum atque ingenium regas
Cpt. 39 (prol.) huius íllic, híc illius hódie fert imaginem
Ep. 447 suas púgnas, dé illius íllae fiunt sordidae
De hoc uersu cfr. Bücheler in Rhein. Mus. XXXVII, p. 524.
» 717 aín tu te íllius ínuenisse filiam? ‖ inueni et domist
Mil. 987 quaé [haec] celox? ‖ ancillula íllius ést quae hinc egreditur foras

β. *Illius ante consonantes est.*

Merc. 657 ádeo dum íllius té cupiditas atque amor missum facit

Mil. 1170 íta uolo adsimulare, praé illius fórma quasi spernas tuam

Ps. 1091 memini. ‖ ém, illius séruos huc ad me argentum attulit

b. *Ictus in ultima positus est.*

illius Merc. 48 lacerári ualide suam rem, illíus augérier

nullius Ps. 1196 quem égo hominem nullíus colóris noui. ‖ non tu istinc abis

Leo ad h. uersum adnotat: nullius coloris, »quod nihil est«. Cfr. »Forsch.«, p. 294.

c. *istiusmodi.*
(i. e. *istímodi.*)

Ep. 119, Merc. 144, Most. 746, Rud. 321 istíusmodí — Truc. 930 istímodí.

Contra in Truc. 794 *utrĭúsque* seruari potest; uide p. 8.

Si hos numeros cum numeris genetiuorum *eius* cet. comparamus, nobis concedendum est hos genetiuos bisyllabum efficientes multo pauciores esse. Namque 41 ex., quae trisyllaba sunt, 12 bisyllaba respondent, ad quae 5 *istimodi* accedunt, ut ratio, quae est inter genetiuos *eius* cet. et *istius* cet., haec fere sit: 41 : 29. Tamen, cum haec bisyllaba pronuntiatio quattuor quidem locis optime traditis (ex. sub 3 a β et Merc. 48; Ps. 1196 potius omitto) postuletur atque haec forma similitudine genetiuorum *eis* defendatur, *illis istis* bisyllaba seruanda esse censeo.

Habemus igitur apud Plautum tres formas genetiuorum pronominalium:

1. *illi, quoi* in hac collocatione: *illimodi, quoimodi*
2. *illīs, quois* } utra forma utrubi adhibeatur metrum
3. *illīus, quoius* } ostendit.

Sed Plautum etiam quarta forma a poetis posterioris aetatis usurpata *illĭus* usum esse, cum in Curc. 716 *illīus* mensura necessaria sit et in Trin. 163 *illius* per metrum sit licitum, uix credibile est.

Addenda et corrigenda.

Multae harum rerum, de quibus his paginis disserui, a Lindsayo in introductione libri »The Captiui of Plautus« (London 1900) nunc tractatae sunt, quo tamen libro, cum mihi in manus serius uenerit, me uti non potuisse doleo.

Pag. 8 lin. 2 ab imo I delendum est.

Pag. 12 *simīllŭmaé* As. 241. Quare hunc modum feriendi Plautus adhibuerit, etiam haec causa mihi adferenda fuit, quod is diiambum quam diligentissime euitauit.

Pag. 15 addere debui prologum Aululariae, in quo u. 35 inest, uix esse plautinum, ut, quae prosodia plautina uocabuli *auonculus* fuerit, hic uersus nihil uel non multum probet.

Index rerum.

Index uersuum correctorum.